Nobilis Hispani

FRANCISCI de QUEVEDO,

Equitis Ordinis D. JACOBI, &c.

POLITICUS PRUDENS,

Sub Persona

MARCI BRUTI,

ET


EXCURSIBUS POLITICIS,

In ejus vitam

A

PLUTARCHO

Conscriptam exhibitus.



AMSTELODAMI,

Ex officina HENRICI & THEODORI BOOM,

M. DC. LXIX.

VIRO PRÆLVSTRI,

D^NO JACOBO NAVANDRO,

CONSULARI ROTERODAMENSI, ILLUST. PRÆPOTENT. D. D. ORDINUM HOLLANDIÆ WESTFRISIÆQUE CONSILIARIO DEPUTATO.

THEOD. GRASWINCKEL *S. P.*

DOrdraco Roterodamum, Roterodamo Hagam animo quam ſæpe excurro: Ita fere, qua ſuus is eſt, ac ſui juris, ubi amat, quam ubi animat, eſt potius. At parce, ob hoc, quid in me deſultorii redarguere, aut pro eo, qui otio ſibi conceſſo frui neſciat, habere. Abſit id ab illo, cui nemo ignavia factus immortalis. Teneo conſtanter illud Varronis; prævaricari aratorem, niſi ſemper incurvus ſit. Dulces ante omnia Muſas otiorum nulla afficiunt, quæ non ſint laborifera: gnaras quippe, etiam labores qui in tenui ſint, gloriam factorum non tenuem comitari. Harum cum me amor immenſus teneat, etiam ſacra fero, ac quidem Tibi, Virorum præſtantiſſime, otii mei, in noſtrate hoc Cameræ bipartitæ quaſi deliquio, rationem qualemcumque redditurа. Si quid iſthæc, (ut *variam ſemper dant otia mentem,*) mihi ſuggeſſerint ſcire aves; expediam. Prurienti calamo ut quondam ſatisfaceret Decius Juvenalis; cum ſciſceret poſt everſæ Trojæ rudera, nemini amplius dolere, fortiſſimus quod imbelli dextra Achilles cecidiſſet, Thermodoontiacam bipennē electurus aliàs, ei ſi omnino in fatis eſſet ut fœmineo Marte caderet, experiri dixit velle ſe, quid in illos concederetur,

Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latinâ.

Est mihi, satyram ut ut nullam adornem, institutum non absimile. Viginti sex, præter propter anni sunt, cum verbis non meis, edito ad Salustii Bellum Catilinarium commentario, ea exhibui, quæ citra noxam, & minus quoque faustis temporibus, de procellis motibusque civicis, & ipsis quoque bellis civilibus possent propalari. Requiri ad illius perfectionem judicavi, ut quandoquidem isthic conjurationem in rempublicam concernentia potissimum discutiuntur, idem fieret à me quoad conjurationes in Principem. Favit instituto meo benignum numen, suppeditato hoc commentariolo incomparabilis ac supra laudem Marchionis Quevedonis: quem, quantumcumque semipaganus, ad Iberum Pactolumve natum, Latio nunc infero. MARCUM BRUTUM ergo hic vides, meum decus, vides in Principem conjurationem, conjurandi cum caussis semina, progressus, varias rerum, consiliorum facies, occasionum momenta, petitam per unius latus rem, Libertatem publicam, calcatas leges, invalida earundem auxilia, minutam Majestatem! inde frontibus, obversis parentibus parentes contrastetisse, haustum datumque fratribus mutuum cruorem, & per nefanda ac nullos triumphos habitura prælia, divinis humanisque omnibus, tristissimam ferruginem inductam. Hoc dum ago, nihil minus extimui, quam quod me esses damnaturus, qui literati otii optimus etiam tum patronus es cum in optimorum ingeniorum ac civium Matrice urbe tot jam annos ad clavum sedens, quæ promovendo sint studiorum bono præprimis accuras: Cum summis Reipub. admotus negotiis virtutes explicas, quæ nulli labori circumscriptæ subsi-

ſubſidant, ea quidem facilitate ac moderatione, ut quæ non niſi agendo indefeſſus, infractus, omnibus laboribus invictus emoliri poſſit; ipſe tranquillo ſedatoque moderamine, at nec minus interim conſtanter ac cordatè, conſummes. Unde apud bonos paſſim candidoſque Virtutum æſtimatores, partum tibi decus clariſſimi nominis, quod omnibus & quaquaverſum venerabile, mihi ſemper eximium fuit, atque honoratum. Nondum anni tibi in ſenium vergunt, at tale tibi otium in ſenectute vovere liceat, qui Patriæ te Neſtorem; ac plures eidem tui ſimiles Neſtoras totus voveo: quo ſic demum vere ſublimis, triumphatrix, auguſta, fœlicem ſe porro ferat, ac præ cæteris quos orbis amplectitur Rerum publicarum beatiſſimam. Te porro quod attinet, tam ſcio tibi non eſſe poſſibile, ut, qui alios ante exis, temet ipſum non ſemper adæques, te digna deſignando, gerendo, & ad ſuppullulantia ſibi tenore perpete virtutum ac meritorum præmia aſſurgendo; quam mihi ſit, nihil agendo ignavam ſegnemque vitam tranſmittere. Quare ut hæc ſe noſtra Tibi ſiſtant patere. Stabunt, cadent, prout tibi videbitur. Sin & precibus locum facis, oro, ut ſi qua laborabunt, pateat iis tutum ad te refugium, cujus intelligentem divini humanique juris mentem ſuſpiciunt & colunt, ac nec minus candidiſſimum pectus amplectuntur; atque illam comprimis tuam Comitatem, qua nulli ſecundus ipſe, neminem parem agnoſcis, nedum priorem. Vale Ipſis Eid. Septembris CIↃ IↃ CLX

CANDIDO LECTORI.

AUtorem damus, Benigne Lector, quem, si cum plurimis qui nostro sæculo Politica tractarunt contendere lubeat, habiturus sis non modo præsignem; sed, cui istud, quod de Scipione poëta Calaber,

Ille sapit solus, reliqui volitant velut umbræ,

sis delaturus. Quò ne multa, quis sit, & quantus, ex hoc opusculo tam de facili deprehendas, quam Leonem ex ungue. Nihil in illo vulgare, nihil protritum. Totus prodest, totus delectat. Est quoque eorum quæ suggerit, ea series, ut cum ingerant se multa egregia, vel ad primos obtutus; supersint tamen plura, sed duntaxat oculis pectoris haurienda, & per intellectum, se in momenta rerum quas ex longo præviderit, penetratura. Unum id satis mihi in caussam visum, cur ex Hispanico redderem Latinum. Non me minus lubens volensque omnium exposui judiciis, quam jam nunc expono: nec metuo, quidquid hic opellæ nostræ fuit, habendum id à candidis rerum æstimatoribus pro parietario, aut quod ab eo protrusum sit in lucem, quem curtior ingenii suppellex quippiam de suo promere non sinat. Iudicabis, quisquis eris, (sic spondeo,) quam fœlicissime sæpenumero ad ea Virum hunc summum pertendere, quæ soli Deo cognita, videantur cogitationibus nostris impervia; ad qualia vel eniti studuisse, habet in se imitationem non levem cujusdam divinitatis. Ita prorsus est, in frequenti lectione historicorum, qui probabiles sunt rerum se inserentium nexus, modo qualemcumque attentionem adhibueris, haud ægrè se renudant: neceßarios non assequatur, nisi quæ mens sit divini humanique juris intelligens. Euntium, & facto reflexu in se redeuntium rerum, ista est vertigo, ut pro indeprehensis plurima transmittantur, quæ arctißimis nexibus se invicem ita attineant, ut nisi tota compage soluta, nec divelli possint. Seu quod Deus & melior Natura sic voluerint; seu quod sic ex re fuerit ad acuenda se dignis curis corda mortalium. Tacitos rerum politicarum consensus, dissensus, fugitivo duntaxat oculo lustrare, tantundem est, ac si bibat ex Nilo canis, & fugiat. Non ostentat Elensis sua omnibus sacra, nec passim. Desultorii ut plurimum sunt, quibus spiritus sunt acutiores: præsumunt se ingenium habere in manu, si quæ in transcursu, etiam aliud agentes notarunt, illicet tenere se sciscunt. Hinc evestigio, relictis post se quæ observarant, ad ulteriora properant, quæ tamen ipsis eadem facilitate sint effluxura, quam influxerant. Contra, qui crassioris sunt spiritus, mente sedata, sua intra se habentes meditamenta, ad eorundem accedunt lectionem, quas sibi rerum formas, species, infigunt, attinent tenacius: multum legunt, non multa. Tales, fixis in vestigio pedibus, sic agunt, ut solent qui stant in suo. Quare ne quidem se movent; nedum ut promoveant: nisi ab excussis omnibus quæ ruminarunt porro greßuri. Hos videas, non magis ferri ad dignoscendas intentiones bonas, & quibus se virtus parariam fecit, quam ad vitiosas, & in pravum detortas:

videas

videas ex æquo sibi repræsentare quæ conspirent, quæque dissiliant, quæ suo se modulo, suo se pede metiantur, quæ denorment. Acutuli isti, cum Ixione volvuntur: se ipsos sequuntur, ac fugiunt. Ad summum ubi venere, nubem pro Iunone se amplexos sero observant. Hi vero id assequuntur, ut animos suos constantibus exemplis firment, emunitos habeant adversum incursus fortuitorum, eosdem in omnia obnixos circumferant. Hoc primo illis laborum non vile pretium. Alterum est, quod alios, tales se cum exhibeant, efforment ad exemplum suum: in quod dum attendunt, & ipsi tandem sapere audent. De me ut loquar; libello hoc perlecto, non minus quam Miltiadis tropæo perculsus Themistocles, excussi veternum mihi incumbentem. Illico credidi, & mihi, & mecum quibuscumque bonæ mentis candidatis, publicè privatimque profuturum, si tam illustri sub auspicio tyrones, pateremur nos doceri, ac mox, relictis nucibus, addisceremus ad ea niti, quæ non fumum ex fulgore, sed ex fumo lucem quandoque editura, solido starent, extra semet ipsa nihil quærerent. Sunt ita quippe virtuti Iustitiæque civili (quibus nihil inferiori hoc in mundo præstantius) suum decus assertura, & inoffensi in vita moribusque tenoris constantiam explicitura. Habeant itaque Velites isti, (per me licet) hunc nostrum Herõa quo volent loco; & dum non alia, (si Diis placet) curant, quam quæ subtiliora sunt, iis quæ in moralem intellectum cadant posthabitis, nunquam mihi persuadebunt rectâ se ratione niti. Quæ præter rationem (sic medicorum Coryphæus) etiam fausto fiunt successu, non est ut quempiam magnopere commoveant. Ante tot jam sæcula Thucydidi observatum, hebetiores quam acutiores ut plurimum melius administrare Respublicas. Optimè. Revera tales potiorem in omnibus æqui bonique rationem habent: ad severioris justi exactiorem custodiam inclinant: alii inter alios juste ut agant unicè attendunt. Inde nec timor illos degeneres arguat, aut in livorem propensos; dum quæ nec à se fieri velint, aliis haut temere sunt condonaturi. Atque hinc, in sociatis jure cœtibus, quos civitates vocamus, amor ille virtutis, qui quos reddidit quam optimos, non alios tuetur. Hinc, ea quæ vetet improbos esse formido pœnarum. Tum quoque, non possunt non esse tardioris motus, quæ fiunt compressorum tectorumque affectuum indagines. Virtutum adhæc recte habendarum ratio, vitiorum citra publicam noxam revellendorum disciplina, quidquid vafri est, quicquid versuti, quidquid sublesti, aversatur, longe habet. Quoquo modo, interest generis humani, ut quæ æquari, atque æqualiter haberi minus possunt, ab æqualitate quam minimè recedant.

Sic Fortis Etruria crevit,
Scilicet, & rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arceis.
Sic eadem,
Imperium terris, animos æquavit Olympo.

Verba

Verba in compendium. Ad hæc ista viam noster sternit. Si quis ea, (aut quisquis lecturus es, cum agere illum non alia videas, etiam pro tua virili HOC AGE. Male me quod habet, monendus es, innumeris typographicorum erratorum mendis dispunctionumque sphalmatibus opusculum sic fœdari, ut vel ipse in spongiam ut incumberet voluerim, tanquam inominatum ac non tollendum fœtum, barathroque citius deberi censuerim quam luci. Sed neque penes me, neque typographum, nec eum qui corrigendi onus benigne susceperat, ulla est culpa. Absfui ego, ut qui nec adesse possem. Optimus mortalium, atque exacte curatissimus Vlacquius, *cujus hæc typis sunt descripta, meæ curæ fideique emendatè ut prodirent sat creditum ratus, quamcumque potuit, præstitit fidem. Nec est, ut vel per umbræ umbram ejus se candida atque obvia humanitas læsam à me queratur, cui graviora negotia & ab iis injectæ quà remoræ, quà necessitates, quæque nec adesse semper permitterent, id dedere, ut nihil sit quod ab ipso ultra requiri potuerit, nedum ut quid sit quod debeat excusari. Quare potissimis illorum ad calcem operis in erratorum indicem conjectis, attuli medelam. Hæc si nec talis, qualem vellem; qualiscunque saltem est. Ad humanitatem tuam provocare qui cogor, provoco majorem in modum. Veni mecum in partes. Id si integrum non est; da veniam: quin imo scisce tuum esse, sortis hic nostræ misereri; & quæ offendunt, ponere post hunc nostrum conatum, de te, deque egregio publico quam optime merendi.* Vale.

IN PLUTARCHI
MARCUM BRUTUM
EXCVRSVS
FRANCISCI DE QUEVEDO:

THEOD: I. F. GRASWINCKEL I. Cus. DELPHENSIS
Ex Hispanico Latinitate donabat.

Txtus.

M*Arcus Brutus genus ſuum ab Junio Bruto deduxit, quem priſci Romani æreum inter Reges in Capitolio poſuerunt cum enſe ſtricto: Quod ejus maxime virtute Tarquinii ejecti, libertaſque Romanornm confirmata eſſet.*

Excursus.

Fœminæ, apud Romanos, admoverunt Reges ſummæ rerum: eædem depulere. Hi Silviæ, cujus proſtrata pudicitia, debent quod imperarint. Lucretiæ, ſpectatiſſimæ caſtitatis matronæ, quod exciderint. Quos

vulgati corporis extulerat infamia; Virtus cordata supplantavit. Factum à Romulo principium, in Superbo defecit. Debet huic sexui genus humanum quod in ruinam subsederit: Debet eidem restaurationem sui tum & gaudia simul omnia in quæ se elaxat: ac nec minus animorum lancinationes & tormenta quibus convellitur. Habet iste sexus, quasi sibi congeneum quid, quod impotens sit, & dominari effectet. Quotiens in societatem recipitur, habendus est addictius. Est amores inter admissos opera danda, ne plura quam par sit ipsi committendo aut permittendo, abdicet quis à se arbitrium sui. Benignius si habeantur aut remissius, evadunt malæ, si pressius, fiunt malæ conciliatiores. Punctum omne tulerit, qui fœmineis illiciis in justos usus couversis, præposteram perfiduciam, suo sibi jumento malum non accersit. Authoritate, gratia, potentia, non raro apud istos præpollet, quibus in sibi subdita regimen. Istic tanto præpollentior affectat videri, quanto ij quorum adorantur sceptra, cœteris mortalium antestant. Evenerit multoties, ut, Fatine hoc crimen? ministri in Dominos suos peccent eosque prodant; at quum se fœminis addixere summa nomina, crebrius est ut semet ipsos prodant, ut sceleratis in se machinationibus robur addant & justitiam accommodent. Quidquid horum est, omne id sequiori huic sexui deberi; tam est obviæ veritatis, ut nemini latere possit.

Quæ

Quæ Brutorum Gentis origo fuerit citius docemur, quam quis Marco Bruto pater. Credidit, non ambigo, Plutarchus, gentilitio huic nomini inesse quid altius, quod tanquam à traduce propagatum monumentum, utrumq; Brutum ad illustrissimi facinoris æquale decus exuscitaverit. Hinc forte creditum narrationis exordium à primis natalibus fieri non debere.

Statua quidem Junio Bruto fuit decreta; sed quæ nec Marco permiserit, ut parto à majoribus honori, degener nepos incumberet; citius quin imo quæ adniti impulerit, ut honoris, ex æquo sibi debiti, eandem mercedem aucuparetur. Junium in Capitolio Romani non tam voluerunt spectari, ut perstaret assertæ ab ipso libertatis æterna memoria, quam ut nepos per exempla consiliaque tam constantia generosum animum firmaret.

Leviculum sit, si nihil aliud Majorum imaginibus deferri placeat, præter unum hoc, quod simplici recordationi cedit: leviculo quin levius, si non ad talia ipsæ potius statuæ extimulent, quæ justum sit referre vivos, quæ factis exprimere. Recte, me hercules, sciscebant ipsi, fœlices illas demum statuas, quæ per sublimium meritorum præclarā memoriam, imitatores posteros quà nanciscerentur, quà redderent.

Idem honos statuæ qui Junio, similiter & Marco delatus est. De hac sic in illius vita Chæronensis. Fuit

„ Mediolani, quæ eſt citerioris Galliæ urbs, ærea Bruto po-
„ ſita ſtatua. Hanc cum poſtea temporis Cæſar videret arti-
„ ficioſe factam, imaginemque ejus bene referentem, præ-
„ teriit. Paulo poſt ſubſiſtens, advocatis ad ſe magiſtratibus
„ Urbis, multis audientibus dixit, ſe deprehendiſſe eos con-
„ tra pacta egiſſe & hoſtem ipſius detinere ſecum. Infician-
„ tibus (ut par erat) primùm, quemque hoſtem diceret du-
„ bitantibus, ac ſe mutuo intuentibus: ad ſtatuam conver-
„ ſus, contracta fronte: annon, ait, is qui hic adſtat hoſtis
„ noſter eſt? Cum magis etiam perterriti ſilerent, vultu in
„ riſum ſoluto, collaudavit Gallos iſtos, qui etiam adverſâ
„ fortunâ utentibus amicis, benevolentiam conſtanter reti-
„ nerent: Juſſitque ſtatuam quo erat loco relinqui. Inſigni tantus Cæſar exemplo patere voluit, ita ſe adverſus Brutum animatum, ut neque ſi in vivis etiamnum extitiſſet, hoſtili in ipſum animo fuerit futurus. Hæc eadem illa fuit ſtatua, ad quam Albutium provocaſſe narrant Annales, ut ad vindicem libertatis, legumque aſſertorem.

Quibus temporibus Romani paupertatem habuerunt bonæ mentis præceptricem, in hoc potiſſimum eluxit ipſorum ſapientia, quod debita magnis virtutibus ac meritis præmia, ad amuſſim veri honoris exigere, & quæſitum per inſignia facinora nomen, quovis auro præſtantius habere conſueſſent. Hanc tam lætam, tam venerabilem præmiorum Majeſtatem aurum ſubruit. Id vero dolendum.

Auri

Auri fere non major est usus quam in explendis, quos nunquam tamen saturarint, reipubl expilatoribus, velandis adulteriis, expugnandis judiciis, subvertendis legibus, impellendis, in præceps agendis, per quodvis nefas illorum fatis, qui longiore senecta pecunias quas animo vulturii devoraverant, detinere creduntur: aut quovis pacto spes eorum improbas morari. Noluerunt mortalium quempiam auro capi, utpote quod non nisi eorum esset qui animo sint abjecto ac vili. Gratiore adspectu triumphalia circum tempora laurus spectabatur, ac servatos ob cives donata quercina. Publicæ acclamationes, applausus, non nisi præsignes victorias excipiebant: raro statuarum honore, neque ob alia, quam quæ tanta constans universorum fama esse demonstraret, ut vel excessisse mortalitatis sortem viderentur. Illis redhostimentis, quò suum decus solide constaret; noluerunt copiam fieri cuipiam honores ullos petendi, nisi qui præclaro quodam præcipui jure ad eos adspirare se posse non ipse modo crederet, sed vel tota Respublica. Atque ista quidem omnia procul habito ambitu, remotissimis omnibus, per quæ populari auræ deferri quippiam posse vel eminus alluceret. Sic pauperrimi cum essent, cunctos divitiis anteibant, invictum imperii invicti robur, constantiam, famam, terrorem, reverentiam sui qua pateret orbis, circumferebant. Serò admodum descitum ab illa paupertie; simulatque id factum, vidit uno eodemque tu-

mulo componi ſua tot ſæculis adſerta decora. Longè illorum principum major eſt magnificentia qui benemeritos ornant honoribus, quam qui aurum faciunt mercedem virtutis. Adgeratur vel quidquid fulgentis hic eſt luti, ad veri honoris faſtigia nunquam ſe protulerit. Omnium virtutum feraciſſima fluxere ſæcula, cum ſummorum virorum animos expleret, ſinceriſque perfunderet gaudiis folium leve. Illis explendis ne tota poſtmodo Roma ſuffecit. Tam illuſtribus honorum inſignibus antiquatis, ipſi honori ſuus honos deperiit, tota in ſuas conſeſtim ruiuas ſubſedit Reſpublica; ex quo potius habuit ſuorum loculos auro farcire, quam per conſueta veri decoris ornamenta teſtari, moribus antiquis viriſque Rem Romanam ſtare.

TEXTUS.

Paternum genus nonulli, Bruto ob interfectum Cæſarem haud obſcurè infenſi, negant ad eum Brutum pertinere, qui reges ejecerit: quippe ei, necatis filiis, nullam relictam prolem.

EXCURSUS.

Iſto vel dato, ita ſe habere conceſſo, ecquis neget ineſſe ipſis ſubinde nominibus quod ſublimes majorũ virtutes blãdo introitu poſterorũ mentibus conciliet? quod ad eadem quæ Majores fortiter audenda, toleranda proritet? ipſoq; hoc

hoc communis nominis velut præcipuo, ad eadem pertendere quam validissime compellat, quò se illos protollere atque evehere potuisse jam dudum cognoverunt?

Statuâ Junio Bruto positâ, testatum Romani fecerunt quantopere ipsis placuerit, quod tantus libertatis assertor exemplo suo monstraverit, Romam regum nomina pati non posse. Iidem testatum fecerunt, quantâ essent prudentiâ, qui eam voluerint locari mediam inter ipsos reges, quos ipso adnitente excussissent. Apparuit inde, juxta ipsos & decernendis præmiis, & pœnis infligendis sufficere. Nec est ut ullus in hoc facto quippiã quod Gemometriæ sit proportionis requirat, qui attendere volet summã id prudentiæ ac sapientiæ laudem secum ferre. Æquum cum judicaverunt, conspici debere Brutum inter regum qui Rempubl. quam laudabiliter rexerant, amplificarant, ornarant sex primores; doceri, scire posteros voluerunt, malo regi nihil quicquam præsidii esse debere in præclaris prædecessorum erga patriam meritis. Ea nec obstare posse, quo minus talis inominatus habeatur atq; intestabilis, non posse merita ut ut sint optima maxima, id sui obtinere momento, ut per illa, aut ipsorum intuitu, Reip. satis factum sit, pensatumve, quod à malo Rege detrimenti cœpit: nulla ea abmissa compensatione, præmiisque ac pœnis suum sibi debere tenorem constare, illumque pro inoffenso omnibus pro inconcusso stetit.

TEX-

TEXTUS.

Hunc Brutum esse filium (dicebant) cujusdam Bruti dispensatoris: plebeium nuper adeo ad capessendos magistratus processisse. Posidonius autem, adultos iam Bruti filios, ita ut narratur, à patre occisos affirmat: relictum autem tertium adhuc infantem, & ab eo Brutorum genus propagatum: & vero quosdam qui eodem genere orti essent viros illustres, suo quæ vixissent tempore similitudinem formæ in Prisci Bruti expressam, facie sua retulisse.

EXCURSUS.

Marco Bruto pater quis fuerit operose perquirere non attinet. Plus satis hoc, quod ipse quis fuerit teneamus. Debetur hoc Heroicis viri virtutibus, ut neque ignobilitati natalium quid roboris aut juris esse velle debeamus ad illas oblimandas. Fuerit, esto, ex dispensatore, quod velint, oriundus: nihil intercedet, cur non etiam magis atq; impensius, vel ob id ipsum laudandus veniat. Constat talem ac tantum fuisse, ut id ipsum, quod tam præclarum magni sui nominis ac meritorum heredem post se reliquerit, Junio Bruto non minus honoris contulerit. quam Marco Bruto, quod originem suam à Junio Bruto deduxerit.

TEXTUS.

Mater Bruti Servilia, ad Servilium Achalam genus refert, qui

cum

cum Sp. Melius tyrannidem affectaret, populumque concitans, sub ala glandium ferens procescit in forum, Meliumque prope, assistens, tanquam si colloqui vellet, eo ictum interfecit.

Serviliæ ejus qui Bruti mater fuit Cato Philosophus, quem Avunculum Brutus omnium Romanorum potissimum ad imitandum sibi proposuit.

EXCURSUS.

Ut ut vel maxime in illorum descenderemus opinionem qui dispensatoris filium volunt, esset tamen, illo non obstante, reflexus nobis ad illum faciendus pugionem, cujus non minori quam illius qui Junij fuerat in patriam benemerito libertatem suam assertam res Romana debuit: ac proinde tenendum non solum fuisse Marcum Brutum illarum virtutum hæredem, quarum laudibus, majores ipsius quos habuit nobilissimos tam clarum sibi nomen erant indepti, sed & de suo longe plurimum laudis illis adjecisse; ut qui non parum illas provexerit. Hos inter si quem sortis habuerit minus illustris conditionisve non elatæ, sponte silentio transmitti percupias ac supprimi, tanta in luce illius virtutum. Ille demum se majorum suorum virtutibus dignum heredem exhibet, qui per ea quæ fortiter ipsemet designavit atq; effecit, ad eorundem adsurgit fortitudinem, qui cordatis gravibusque suis consiliis eadem

exprimant atque illuſtrent prudentiam. Quiſquis agit degener, quiſquis gentis ſuæ claritudinem malis moribus conſpurcat, vitiis fœdat, eſt quidem ille alicujus filius, ſed non eſt filius iſtius patris quem oſtentat pro ſuo. Quem ſola majorum, quibus paria non faciat virtus, conſpicuum facit; habet quidem quod eis debeat, at quantillum? Qui ſe iis indignum gerit, unum hoc compendi facit, quod ex quo illi in vivis eſſe deſiere, non eſt ipſos habiturus exprobratores illius infamiæ in quam ſe induit. Amphiarais iſtis ſub terram abditis ſi gradum revocare, ſi ſuperas ad auras evadere daretur, quæ non ingererent, quæ non objectarent? Perſtat illis etiam poſt buſta & ultimos rogos honor ſuus, ad illos tranſmitti merito recuſans, qui quid honos ſit, quid honeſtum, ultro ſcire nolunt. Si quid Marco Bruto pater fuit mediaſtinus, jam dudum illum ſpectatiſſima virtus ignobili à ſtirpe ſejunxit. Eſto ei vel invitiſſimâ veritate talis pater, ſatis ſuperque ex illo, quod tanti filii pater audiat, honoris accedit. Non eſt noſtrum eligere huicne an illi imputare velimus originem noſtri. Vilem infimæve ſortis hominem naſci, culpâ vacat: dum ne ipſe vilis ſit, ſuiſque ipſe moribus reddat vilem. Quiſquis optimis progenitus parentibus, optimus eſſe non ſtudet, ſibi probro eſt. Eſt ut videat, quantis excidat: ſciatque tanto majoris eſſe diſpendii quæ perdat, quantò, ſi ſervaſſet, illuſtriorem fuiſſet redditura. Niſi quid in ſenſum commu-

nem

nem peccare lubet, eſt etiam in illo ſua pars juſti æquique, ut qui ſe majoribus ſuis indignos reddunt, ab omnibus habeantur deſpicatui.

TEXTUS.

Nullus fere fuit Græcorum Philoſophorum quem non audierit, nulla ſecta quam non cognoverit. Maximè tamen Platonicam amplectebatur, novamque & mediam (ut vocant) Academiam non admodum probans, antiquam ſectabatur. Antiochum Aſcalonitam in perpetua admiratione habuit, Romano quidem ſermone Brutus ad excurſiones ut contentiones orationum ſufficienter exercitatus fuit. Græcæ autem argutæ illi ac Laconicæ breviloquentiæ ſe ſtuduiſſe in epiſtolis aliquoties oſtndit.

EXCURSUS.

Cordatam amplectenti virtutem omnino difficile non eſt, ut evadat fortis, ut conſequatur habitum virtutis. Fortitudini tamen Virtutique ingenuarum artium fidelia ſiquid ademeris ſtudia, neutrum obtinuerit. Ad veram Virtutem Fortitudinemque abeſt ei quam plurimum, qui apud ſe non diſpeſcit qualiter Virtute præditus eſſe debeat, qualiter fortis. Exit in Temeritatem male collocata Fortitudo: quæ recto prudentiæ moderamine virtus deſtituitur, male agit, vel tum, cum boni quid facit, ſi dum facit, neſcit aut non capit, cujus ſit conditionis bonum illud

quod facit. Minus ſæpe noxia eſt circumſpecta periculorum fuga, quam timidi cautionem vocant, quam quæ vitio affinis eſt virtus, quam fortitudo temeritati immixta. Quidquid ex malis emendatur, illo quod à rectis in prava deflectitur eſt præſtantius. Bene agendi neſcius ſi quâ fueris, parum refert, an malis bona confundas, aut ex adverſo, ſi bene ſi male agendi ſis ex æquo gnarus, an id quod malum eſt, emendes per æquè malum. Paradoxon, quin imo ad fidem difficile videatur, quod dicimus, virtutem, rem per ſe ſanctiſſimam, id quod eſt eſſe deſiſtere, niſi in actum rite recteque deducatur. Nihil tamen iſto verius. Auro ut auro, internum illud quod habet valoris quaqua verſum conſtat. Si in beneficia expendis, in benemerentes erogas, erit conciliandæ benevolentiæ; lethiferum idem futurum atque exitiale, ſi in tormentariam denſatum glandem evibretur per ſclopletum. Non ergo ſpectandum quid ſit aurum, ſed quis illius uſus ſit, quis abuſus. Qui volunt Virtutem eſſe medium vitiorum in utrumque reductum, proportione Geometrica poſthabita, non aliam quam Arithmeticam ſibi habent propoſitam; quæ conſtet ex eo quod plus eſt minuſve. Sic Religio ſibi ſtat, quamque habet majeſtatem ſibi aſſerit ac tuetur, media inter illud quod abruncinari ab ea hæreſis velit, atque illud, quod addi inſuper velit qualiſcumque ſuperſtitionis vanitas. Peccant in virtutem quam maxime, qui eandem illius eſſe rationem

putant,

putant, cum eà quæ eſt in numerando calculorum. Eſt ipſa quippe eadem ſemper, in ſe collecta, ſibi conſtans, majus proinde minuſve non admiſſura. Alia numerorum eſt ratio. Deme ſeptenario binos, non habiturus es niſi quinque; quos ei ſi addideris, habiturus es novem. Fecit hoc ipſum, quod ſciret quis eſſet veræ virtutis rectus uſus, ut in exactiſſimum illius obſervatorem Marcus Brutus evaſerit: fecit ut cum viveret in fæce Romuli, civibus bonis praviſque immixtus, evaluerit ſe ſuaque componere ad illam vitæ morumque conſtantiam, quæ in omnibus quæ ab ipſo facta ſunt eluxit. Bonis, quibus nunquam non ſtipabatur egit acceptiſſimus: ſequioribus ſic venerabilis, ut utroſque pro ſe haberet, & in quaſcumque partes concedere vellet, eſſet ſic pro ſe habiturus, ut rebus omnibus grande momentum adferre poſſet. Amabat in illo populus mores innocuos, quorum & conſtans & modeſte temperata gravitas Patribus erat gratiſſima. Nec alius erat, ſi vel dicto vel ſcriptis explicaret animi ſenſa. Maſculo verborum flumine cum loqueretur, tam facili cum ſcriberet verborum agmine, ut neque ſe neque alterum fatigaret: contra quam ſecta fert noſtrorum temporum, quibus ſic paſſim ſcribimus, ut verba duntaxat ſtrepera, canoraſque nugas chartis illinamus, nullo etiam cum verba facimus, aut modo verborum aut fine. Plurimum Bruto authoritatis circumdedit, quod à novæ mediæque

ut vocabantur, Academiæ ſcitis alienior, in priſcis illis Divini Platonis acquieſceret. Illa à ſecum tam conſtanter ablegaverit, prælusiſſe non leviter iſtis videri poſſit vindiciis, per quas aſſertor ac vindex libertatis acerrimus, Cæſaris à Patria ſua tyrannidem depulit, mutatâ Reipublicæ formâ, quidquid libertatis fuerat ad ſe unum trahentis. Habet omne ſtudium novitatis quid quod fugiamus. Primos utique parentes noſtros, inque illis univerſum genus humanum, ſtatus ſui mutandi, novandi, male conciliata vitioſa lubido peſſumdedit. Nulla mortalibus certior, nulla exitialior pernicies aliunde, quam cum ſemetipſos extra ſe quærere occœptant, cum ſe ab illa ſtatione refugos averſoſque ferunt, in quam eas aut fors introduxit, aut ratio locavit. Hærent uſquedum in turbido novandi ſtudia, nunquam non fluctuant: tam quæ prælapſa ſunt diſplicent, quam moleſta ac gravia ſunt quæ circumfluunt. Fieri nequit, ut ne qui nova ſibi omnia proponunt, affectant, iidem ſemper eſſe deſinant id quod ſunt. Omnium horarum homines, quid niſi quod vitam inter continuatas mortes, inter errorum ſe prementium ſibi inſtantium perpetuos anfractus tranſigunt? ac tandem aliud agendo diu multumque, cum ſe delaſſavere, id quoq; habent incommodi, ut cum reſilire ab inſtituto, & ad ſaniora converti nituntur, unum hoc ſemper agere debeant, ut illud quod ſe eſſe deprehendunt, porro eſſe nolint.

TEX-

TEXTUS.

Adolescentulus etiamnum cum Catone in Cyprium est profectus, misso adversus Ptolemæum Insulæ Regem. Ibi Cato, cum se Rex ipse interfecisset, necessaria de caussa Rhodi commorans, præmisso in Cyprum Caninio suorum uno amicorum ad custodiendam pecuniam regiam, metuens ne is pecularetur aliquid, Bruto scripsit, ut ex Pamphilia (ibi enim se ex infirmitate aliqua colligens agebat) in Cyprum navigaret. Perinvitus paruit Brutus, quod & Caninium reverebatur, ignominiose à Catone officio amotum, & omnino hujusmodi administrationem illiberalem & se (adolescens quippe erat, & otio deditus) non dignam putaret. Verumtamen & hac in re præclaram navans operam, à Catone laudatus est, & bonis regiis divenditis, cum majore parte pecuniæ Romam missus.

EXCURSUS.

Optimo loco res sunt publicæ, cum qui ad dissitas remotasque Provintias rectores ablegantur, id potius student, ut ne expilandi illas cuipiam facultas suppetat, quam ut suppliciis subdatur quisquis illas expilaverit. Ipsa judicum suorum furta principes sæpe pejus affligunt, quam gravia sunt furibus quæ ex merito subeunt supplicia. Principum quisquis ministrum à se missum sic attinet, ut ei quod furetur nihil suppeditet præcisis depeculandi occasionibus, næ ille & sua sarta tuetur tectaque, & cum istis,

iſtis, quem miſit miniſtrum; cum ex adverſo ſecus faciendo utrumque perdat, Quanto frequentiora delictorum ſunt ſupplicia, tanto quoque frequentius ipſa committuntur delicta. Qui furtis ſe alligant, ſic fere ſemper ſe componunt, ut præſidium ſibi ſecuritatemque ab ipſis furtis circumdent. Accedit, quod tales, ipſis judicibus, quorum eſt ut in eos lege agant, animadvertant, maximo ſint compendio; dum in eos quam inquirunt acerrime, non quidem ut puniant, ſed ut deprehendant. Noluit Cato Canidio peculandi facultatem ſuppetere: Brutus eum id facere non eſt paſſus. Sic ſepties mille talentis facta Roma locupletior. Eadem utrique facta duobus nominibus rea debendi: ut quæ geminatò recuperaverit id quod eſſet jam tum ſuum. Primò nempe, cum id quod reddebatur illorum fidei acceptum ferre debuit, intactum, & abſque hoc intercipiendum, ad ſe redire gaviſa eſt. Secundò, eum feciſſet illorum fides atque induſtria, ut ne interverti poſſet.

Exuunt ſeſe regnis ſuis ipſimet reges, cum illis admoderandis rectores præficiunt ſecum longæ pacis commoda, ubi redierint, devecturos tanquam in triumphum. Neque nudus eſt iſte Regibus ad ruinam prolapſus. Hoc admiſſo, ſummo de culmine præcipites impulſi ruunt: cadendo deſcenditur: ſumma inter & ima nihil datur. Contra illos qui furandi artem callent, vix eſt ut ſit validum

dum ullum quarumcunque demum legum præſidium. Artem furandi cum dico, furta deſigno, ex quibus & qui conſcii ſunt, & qui delatores, atque ipſi adeoque judices ſuas quiſque pro ſe partes ferunt. Omnibus iſtis id demum eſt vivere, eſt valere, eſt diis mortis iratiſque perfrui. Intendendi, ſpiſſandi furta, non aliud potentius incentivum, quam cum omnino id agitur, ut omnibus iſtis ſatisfiat: ſuæ Cerberis offæ, hoc melle medicatis his ſoporate frugibus largiter ſufficiant, ſic demum meritoq; relaturis paria paribus, Deum juſtitiam, debitam Principi, patriæ fidem habituris poſt ſcelera. Sic nunc vita truditur, ut non alios ad ſe infame lignum evocet, quam quibus defuere ad quæ avidas manus extenderent antequam ad ſupplicia raperentur.

TEXTUS.

Cum jam arma arripientibus Cæſare & Pompejo, bellum civile gliſceret, & perturbata eſſet Reſpublica, nemo non exiſtimabat Brutum eſſe Cæſaris partem ſecuturum: quippe cujus Pater eſſet juſſu Pompeji interfectus. Verum is privato publicum antiquius habens, Pompejo, cui quam Cæſari juſtiorem eſſe belli cauſſam ſentiret, ſe adjunxit. Ante ne allocutus fuerat Pompejum, obvius ei forte factus, quod magnum putaret eſſe flagitium cum patris ſui occiſore colloqui. Tum autem ſe ei ut patriæ principi ſubmittens, in Siciliam cum Seſtio (cui ea obtigerat forte provincia) le-

gatus abiit. Ubi cum nullius magnæ rei gerendæ daretur occasio, jamque de summa rei decertaturi Pompejus & Cæsar congrederentur, ultro ad commune discrimen in Macedoniam venit, cum quidem Pompejum gaudio & admiratione adventus ejus de sella ei obviam esse, & tanquam præstantiorem amplexum, in conspectu omnium fuisse perhibent.

Excursus.

Hoc illud Marci Bruti factum fuit, quo tanquam quæsitor urnam movit omnibus, qui egregio bonoque publicis, privata habent antiquiora. Non poterat non plumbeas in Pompejum iras gerere, cujus jussu parens ipsius fuerat interfectus. At enimvero erat istis temporibus idem Patriæ pater. Igitur pro illo quem talem habebat libera Respublica, sic in partes venit, ut nec expectoraret interea, aut ex animo revelleret, quid quantumque à se exigerent manes paterni. Accessit nullo Pompejum sibi asserturus beneficio, justissimæ assertorem caussæ veneratus: patriæ sub auspiciis eum agnovit ducem, à cujus abire consiliis judicabat esse nec viri boni, nec boni civis. Eo ipso fecit ut tam esset non inficiandum patriæ suæ nomen, quam ante, optimi parentis optimus ut esset filius operam dederat. Teste Cordubensi.

Oderat & Magnum, quamvis comes isset in armis.

Si qua Cæsaris secutus fuisset partes, potuisset videri filius

bonus

bonus, at non item bonus civis. Pompejanis in partibus bonum se multoties filium: civem vero bonum quaquaversum exhibuit. Quisquis illius quod designat caussa deest honori suo; neque id quod designavit assequitur, neque amissi ob hoc aut insuper habiti honoris sarcit jacturam: tantundem agit, quam si propter vitam, caussas vivendi eat perditum. Ipsam persæpe victoriam inimicis transscripsit, ad sua qui nimium attendit. Etiam Imperatorum maximi nullos tam sibi adversos habent, quam eos qui cum earundem cum ipsis partium ferant, hostis tamen malint res esse superiores, eo nomine quod posthabitis illorum consiliis sua prætulerint. Quotiens de rerum summa decernendum est, optabile sit, ut nunquam ad illa declinent consilia, quæ parti adversæ magis proficua quam suæ sint futura, qui secum sciscunt suorum se consiliorum fructus non percipere. Detestanda illorum est improbitas, qui malunt ut se suosque Imperator in ruinam adducat, non alia de caussa, quam quod aut per errorem, aut fatis in contraria nitentibus, cui rerum summa concredita est, sequioribus accesserit, sanioribus se præbere consiliis supersederit. Qui summum belli ducem in illam quæ pluribus arriserit sententiam pedibus ire cupit, quid aliud intendit, quam ut is omni à se abdicato arbitrio sui, servum se multorum reddat ex libero; utque nec ipsius quoque rationis in se imperium admittat? equi-

dem nisi majoris sapientiæ rerumque peritiæ sit Imperator ipse, quam sint eorum plurimi quos consiliis suis admovet, plures à quibus decipiatur, jam tum indeptus est. Audit duntaxat, non dijudicat; qui sua sic judicia ad relationes aliorum accommodat, ut quæ potiora foris habet pro comperto, negligat. Interfectori ergo patris sui it comes Marcus Brutus, non alia mente, quam ut illius se apponat violentiæ atque injuriis, quem videbat eò contendere, ut profligata, pessumdata patriæ libertate solus rerum potiretur. Eundem tamen & ipse tandem interemit, & alterum (ut mox videbitur) passus est de vita deturbari, cui ereptum patrem imputabat; sic tamen ut in illo ipso privatim quippiam aut contra bonum commune, neque contra officiorum jura commiserit. In Siciliam se contulit, sed cum in illâ virtutibus suis explicandis aream non patere animadverteret, campos Pharsalicos petiit, supremum cum prælato duce discrimen subiturus Quæ viri modestia, nec quod res Cyprias summa fide atque integritate tractasset, quodque patriam collatis in ærarium Ptolemei thesauris quam insignitissimè locupletasset, nec quod dum in Sicilia legatus ageret, esset quam optime de Romano nomine promeritus, tanti habuit, ut ob ista vel tantillum sibi è Repub. postulaverit; res bene fœliciterque

ges-

gessisse contentus. Præbuit idem securam virtutem suam, quò eam instantia patriæ fata vocabant, & quod tantum non perdita libertas exigebat, toros lacertosque explicuit. Ipso videlicet in discrimine, medioque in conflictu reperire voluit ad quæ gloriosius adspiraret premia: à quibus deposcendis in illum usq; diem supersederat. Quidquid eximii habent Respublicæ, id omne, quin ipsas quoque respublicas, depeculantur, ad & incitas redigunt, quæ nimis avidè flagitantur præmia. At non illa volo quæ veræ virtuti solida debentur. Passim ea peti videas, ut eorum præmia sint præmiorũ, quæ jam ante fuerint consecuti. Inglorium prorsus se suasque augendi copias modum excogitarunt homines inominati, qui non alium sibi ad referenda præmia caussam credidere potiorem, quam quod illa petierint: & ob id altera quoque atque altera emendicare non absistunt, ac si illa prioribus in cumulum accedere deberent. Hoc fonte derivata clades ista in populum patriamque profluxit, quod impurissimi mortales, modo quippiam sit quo prodesse se ei posse à quo illa exigenda ducunt, ostentare vel è longinquo possint, in indefrenatas sese cupidines elaxant, ipsum etiam illud, quo profuisse videri possint, toto mox asse ad se retracturi. Quò bene faciant, non quia bene fecerint totis se præorum torrentibus jucundari debere præsumunt;

obtinentque tandem pretiosi sibimetipsis suorum emptores dedecorum; ut nec ipsi ab aviditate sua modum petenti impetrent, neq; ei à quo petunt constare velint negandi libertatem. Nunquam se Marcus Brutus candidatum voluit, quascumq; eum in provintias mitti placuit, factum à populo libero suique juris. Habuit suum Verrem tam diu infœlix Sicilia, quā diu sacri profaniq; totâ quid in insulâ superfuit, quod in nihil sibi subduci ex illis passuras Vulturii istius manus posset demigrare. Romam non ante reversus est Verres, quam postquam tota quanta quanta fuerat Sicilia, uni Verri in spoliū prædamq; concessisset. In Siciliā se Brutus, at non illa se in Brutum transtulit. Invenit in undiq; circumfluentibus illius divitiis, quæ infra animi sui magnitudinem haberet: omnibus isthic altissimam ad pacem à se compositis ultra quo pertenderet, nihil invenit. Verri, (cui nullum aliud propositum quam per fas nefasque omnia undecumque corradendi, invadendi) opus erat Sicilia: secus in suis se virtutibus involvente Bruto. Quapropter & illâ relictâ, neque aliam ob caussam, quam quod suæ opis aut operæ non indigeret, in campos Æmathios se intulit pars belli non temnenda futurus; partes quin imo se ac virtutibus suis dignas adiit gregarius miles.

TEXTUS.

Ea militia interdiu, quidquid à Pompejo abfuit temporis, studiis librisque imponebat, non aliàs modo, sed etiam imminente

Phar-

Pharsalica pugna. Quæ eam præcessit dies, ingenti æstu castra locis palustribus adulta tum maxime æstate metatos affligebat. Brutus autem eo confectus, cum qui tentorium ei ferrent non statim advenissent, vix tandem media jam circumacta die, unctus & modice pransus, reliquis aut dormientibus, aut de eventu futuræ pugnæ sollicite cogitantibus, ad vesperam usque scripsit, Polybium in epitomen contrahens.

EXCURSUS

A summis ab omni sæculo Regnorum Rerumque publicarum moderatoribus, Imperatoribus, Ducibus, semper judicatum fuit pacis bellique artibus inter se quam optimè convenire, recteque per non ingloria nec indecora studia peti ea quæ militarem quandoque gloriam sint consummatura. Est suum calamis gladiisque consortium, neque infœlix quoque. Hostem quæ stratura sit sagittam armant pennæ, eidem evibratæ se promovendi pernicitatem accommodant; altius hæsuræ, sanguinem bibituræ suum pondus largiuntur. Non opus hic pluribus quam Alexandro, quam Cæsare, in proscænium adductis. Infremebat ille horrore sacro ceu percitus, volvebatque tantum quæ decerent Imperatorem; uno se dignas curas ad Homericæ lectionem Iliados assuetus recoquere. Idem gnarus loricæ, galeæ, scuti, gravia esse atque onerosa gestamina; eadem male ab illo trahi, cui non esset animus quo-

quovis telo præstantior. Sic est. Imbelle quod est corpus, abscondunt arma, non defendunt, nisi quid illi generosior quis impulsus arma suffecerit, in quæ se colligat, per quæ vim viribus exeat. Agit intecto latere, quicumque animi robore destituitur; armaque cum circumferat, virum nusquam exhibet arma quem deceant. Si prælio non saucius educitur, agit inobservatus: si vitam cum morte commutat, non minus armorum suorum ponderi, quam inimicis debet quod extinctus sit: nec tum quoque cum fuga salutem non petit probri immunis, citiusque fugere non potuisse quam noluisse creditur. Optimos generosissimosque quæ sibi mors oppignorat, non errat semper, sæpe eligit; illos obtorto tractura collo qui plurimum timent. Hoc tamen nomine non omnino ignobiles quod ad cœteras illas sublimes & superum in nomen ituras animas quamtulamcumque accessionem fecerint. Inermis obversa frequenter tela Alexander excepit, bellis ipe bellorumque victor, pluribus terram ore cruento mordentibus, & ad pedes ipsius prostratis quos gravior armatura texerat. Cæsar simul & pugnare & scribere suetus, dictus ex utroque Cæsar, ambigeres faciendone scribi digna, an scribendo quæ præclare fecerat, fuerit major. Pelusiacum flumen unius brachii remigio transmisit, & quanquam mergeretur premereturque telis altera tenuit manu divinos illos commentarios; ab injuria fluctuum tutos præstitit,

tit, quibus ut viveret dedit, & per quos ipſe in æternum per gloriam vivit. Tantarum virtutum imitamentum nec molle dedit Marcus Brutus, etiam media in Æmatia ſtudiis intentus. Eadem quæ prælium tam cruentem anteceſſit nocte, ei in manibus Polybius erat. Exigentibus interim cæteris anxios inter ſpei metuſque cruciatus quæ eſſent incerta caſuum, quæ fatorum, quanta ſecum decretorius ille jam jam volvendus dies adferret. Quod ipſum ſuorum temporum facile principi hiſtorico facit ad laudum vel ſummam, nec minus eum Brutus judicio hoc ſuo, immortalitate dignum expreſſit, quam ſuo ipſe ſtylo, quam rerum verborumque pondere, quam majeſtate exemplorum, eoque demum in omnibus nitore, qui cæteros exinde omnes poſt ſe reliquerit. Hunc ſibi applicabat Brutus: ut res cumque caderent, ex iis quæ moneret doceretq; hauſturus quæ in rem forent. Nullas ei interim cogitationes acie Pharſalica quæ tum ſupra caput adſtabat aut curas ſuppeditante, ab iis diverſas, quæ diſpicere adigerent quomodo quam optimè quam fortiſſime facturus eſſet pro patriæ libertate. Sui futurorumque juxta ſecurus uni iſti incumbebat. Tum cum hoſtem agger murorum non diſtinent, cum foſſæ ſanguine inundant periculorum exigere magnitudinem, timidorum eſt. Nec diffitear tamen quidquid iſtiuſmodi eſt cogitationum in cordatiſſima ſeſe pectora ſæpenumero penetrare. Tali rerum cardine, belli-

ca ducem prudentia, militem imperio parendi, quæ jussus sit prompte fortiterque exequendi gloria absolvunt. Multis in cladem caussa fuit scrupulosa nimium circumspectio, quos adsumpta pro rerum statu temeritas sincere victores facere potuisset. Tam sit hic temerarium damnare circumspectos cautosque, quam laudare temerarios. Mihi sententia stat, debere ipsa discrimina docere, præscribere animis oculisque, ingerere unde plus boni malive sperandum sit aut metuendum. Animum qui in ea quæ timeri possint revolvitur, suum jam tum fecit timor. Frequens est, ut qui se timori permittit, mente excidat judicii minor. Non suo metiri pede quæ se oggerunt, grande timoris argumentum est. Quæ timentur, altius assurgunt, acrius urunt urgentque: ipsaque adeo illa se repræsentant quæ nec sunt. In istis non falsior illo quis sit testis, qui pro jam visis sibi ea deputat, quæ nusquam visuntur.

TEXTUS.

Ferunt & Cæsari Bruti salutem curæ fuisse: ideoque in prælio Ducibus jussisse ut parcerent ei, neque cæderent, sed ad se perducerent siquidem volens sequeretur; siquidem repugnaret, demitterent. Hoc eum in Serviliæ gratiam matris Bruti egisse. Cum ea enim traditur juvenis adhuc rem habuisse, insano ipsius amore correpta, & Brutum, quo maxime tempore amor iste flagravit, editum quodammodo sibi persuaserat ex se natum.

EXCUR-

EXCURSUS.

Poſcebant ad necem Cæſaris fata Marci Bruti manum. Cæſaris animum nulla violentius exagitabat cura, quam quo pacto inſtanti diſcrimini Brutum eximeret. Crederes ultro Cæſarem ad ſe illum vocaſſe, ut eſſet cui occumberet. Omnino in animo Cæſaris ſuam ſe in mortem induturi multum cœcæ noctis fuit. Sed non eſt in uno illo id ipſum ut obſervemus. Ivit hoc per multorum exempla, multos venturis ab hinc quoque ſæculis habiturum quos eadem calamitas involvet. Quid in hac ſurſum deorſum euntium rerum humanarum vertigine tam tralatitium tam frequens; quam cœcos mortales quod in ſuamet exterminia pronos ruere conſpiciamus, ac vel in tantum ut omnium in quæ devergunt malorum non alios autores, promotores, exactores non alios ferre poſſint quam ſeſemetipſos. Niſi quid benigni numinis immenſa miſellos nos jamjam lapſantes retro clementia traheret, in quam ſe devia abripi paterentur noſtra pectora, quam ſe infœliciter unius ſæpe ob noxam ac ſcelus medias in pœnas protuderent, ſibimetipſis ſupplicium ſui debitura! Quam multis quoq; negatum à Deo ut dulces ad ſomnos oculos componant languentes, quibus immenſam vim divitiarum eſt elargitus, dum interim & fures, & latrones, & quicquid eſt mortalium quam maxime nefariorum, in utram-

que aurem ſecure dormitant. Quam multis ille conceſſit ut ad quarumcumque dignitatum faſtigia ſublimes attollerentur, eo ſed fato, ut in altum ſublati graviore caſu deciderent, exponendi quoque vel illorum quibus vilius nihil eſſe poſſit ludibriis? Quæ non virguncularum timidis id exambit votis ut formoſa videatur eſſe inter formoſulas; nec attendit male ſana quanta lis pudicitiæ ſit cum fragili formæ bono, quantis, ac quam multis, ut ſcopus quidam, ipſa forma, maledicentiæ calumniarum, omniaque ut deſint, ſequiorum ſuſpicionum, pateat, petatur, convulneretur ſpiculis, quam ſiniſtris expoſita ſint interpetramentis, eorum vel minutiſſima quæ dixerit feceritve? Adoleſcens, ut ex ephœbis exceſſit, venuſtulis videri ſatagat, at non qui obſervet, nitida illa, terſa, ac polita quæ affectat, tacite, ac ſe vel aliud agente, viam ſternere ad alienorum cubilium inſeſſuras, & ſi quæ his pejora neque nominari fas ſit? Ecquem mortalium dederimus, qui non inventurus ſit multa à ſe fuiſſe deſignata, multa à ſe ſpe factiſque, animæ ſuæ læthalia præſumta, ſi modo in ſe deſcendat, & quantumcumque alias ſapere ſibi videatur placeatque, ſi ſe ſibi candidè renudet? Dicendum quod res fateri cogantur omnes multo plurima quæ redarguant in abdito ſe cicumferre. Bonæ mentis præſigne deliquium eſt in quælibet temere vota proruere neſcienti quid vovendum ſit, quid expoſcendum precibus quidve ſit profuturum.

rum. Prudenter decernit, quiſquis ſciſcit agere ſe erroribus undecumque involutum. Quicunque ſpes ſuas premit; intra ſe ſua coërcet deſideria, ſibi ſubmiſſa attemperat, quo Deo quem ſuum velit evadat probatior, diſcit idem, non alia petere, quam divinæ voluntati placita, mandatis divinis conſona, ac qua talia, divinis probanda confirmandaque ſuffragiis. Quæcumque iſtins ſunt commatis, ut ſunt puriſſima, ſic nec æquivocationum ſubleſta admittunt, providentiaque ſua, fucos quos averſantur, impoſturaſque quaſlibet, exeunt ſecurè. Quam non cautè, non recte Cæſar hic ſciens volenſq; ſupprimit, quidquid affulgere quidquid animo obverſari potuit bonæ lucis, quidquid inhibere ne periret vivus videnſq;! In cœca deſideria cœciore proreptus impetu, non animadvertit, ipſummet ſe ſuam ſibi mortem accerſere, jugulum in ſuum armare ſuum ſicarium, demens, qui ex illa quæ Bruto cum Pompejo intercederet amicitiâ colligere non potuerit, nedum pervidere, tanto ſe magis exoſum Bruto agere, quanto eſſet ille Pompejo conciliatior. Si quid in cauſam illius penetrare lubet quod Cæſarem proturbavit in tam male fauſta: nihil ſe oggeret præter peccati noxam. Habebat nimirum Brutum tanquam ex ſe conceptum proditumque iis temporibus, quibus amore perditæ Serviliæ illuſiſſe ſe memoria tenebat. Quæ conſanguinitatis vincula per coitus non licitos per adulteria ſibi innectuntur, ſuo ſe ut plurimum volutant ſuffocant in cruore. Vitæ officina mulier

est, & quædam velut effabricatrix; ac nec alia potior mortis est causa. Ad illam accedere qui parat, sic se componat, quam si ad accensum ignem sit accessurus. Quod ustilibus flamma depascens, id vero fœmina est. Vel tum cum vivificos frigidioribus calores insinuant, incensos recreare videntur, cum forma placent, nihil præter Veneres & amæna sperant ambrosios odores diffundunt, vires vel solo aspectu carpunt, urunt, depascuntur, nemo absque periculo illas attrectavit, seve iis permisit, flammæ ingesta quælibet haurientis ad modum, incendunt, consumunt, quidquid sunt nactæ. Illis qui se committit, ultra sui nihil habet sibi quod vindicet. Iisdem ex oculis quibus ignes suos evibrant, eglomerant, conspectum quibus eripiant fumosum volumina, ubertim cum in lachrimas solvuntur, agere eas ex imperato faciunt, doctas ire quo jubentur, & ad hoc ipsum sua semper in statione paratas, ad nutum nictumque prorepturas. It tamen homini absque muliebri consortio tristis dies, neque alia ipsi vita truditur quam si Cimmeriis in tenebris eam transigat. Varium interim quid illa semper & mutabile: quid in horam vites, quid caveas, nunquam non habet. Hæc emendare arte, ingenio corrigere si velis, nihil egeris: quidquid omni opera contuleris, lavabis laterem. Aquæ pauxillum huic si fornaci injeceris, in acriores exundet flammas, si plusculum, etiam extinxeris. Qua facilitate quid ab ea obtinueris

tinueris, eadem perdideris. Ipsa per quam flammæ mulier adsimulatur comparatio, probationis, quàm sibimet ipsi eam sufficiat, non indiget. Ignem qui dixerit, is & mulierem dixerit, ac versa vice. Ebuccinant hæc cineribus Serviliæ permistæ à Cæsare scintillæ. Ardores illius ad breve tempus Cæsar restinxit, illa quæ ad postremum Cæsaris rogum accenderet titionem, utero tulit, flammis dedit.

TEXTUS.

Victo ad Pharsalum Pompejo, & fuga ad mare elapso, cum oppugnarentur castra, Brutus nemine animadverente ad locũ palustrem, & aqua cannisque refertum porta egressus, noctu Larissam evasit. Inde cum dedisset literas, Cæsar eum superstitem esse lætatus fuit, & ad se vocatum, non culpa modo liberavit, sed & in summo secum habuit honore, incertus deinde quonam Pompejus profugisset, animoq; æstuans, cum solus cũ Bruto ambularet, sententiam ejus exploravit, cumq; eum ex colloquiis omniũ optime conjecturam facere de Pompei fuga sentiret, omnibus rebus omissis in Ægyptum contendit. Sed Pompejus jam eò (ut conjecerat Brutus) perlatus, perierat. Porro & Cassio Cæsarem Brutus placavit, & cum Regi Galatiæ patrocinans multitudine criminum ei objectorum vinceretur, deprecans pro eo obtinuit, ut magnam ditionis partem non amitteret. Ac fertur Cæsar eum cum primum audivisset dicentem, ad amicos dixisse: haud scio quid hic juvenis velit, sed quidquid vult, valde vult. Ea animi gra-

gravitate præditus erat Brutus, ut non facile cuivis à se petenti quidquam gratificaretur, quod vero agendum sibi consilio rationibusq; adductus constituisset, ad id valido efficacique ferebatur impetu. Neque adulationibus se ad probandas injustas preces adduci patiebatur & importunitati impudenter petentium succumbere (id quod nonnulli verecundia vinci appellant) turpissimum magno viro judicans esse, dicebat. Videri sibi male illos tempus suum collocasse qui nihil dedicerint denegare.

EXCURSUS.

Decius Junius juvenalis cujus (quantum quidem Ethnico, inter Ethnicos agenti poëtæ datum) quam gravia extant judicia de providentia numinis, quo loco recenset in Campania graviter ex febre laborasse Pompejum, tempore non ita multo antequam ad Pharsalum decerneretur, damnat in populo Romano stultitiam votorum, qui longam illi vitam postularit, qui si tum supremum clausisset diem potuisset non spoliari fœlici funere, omnia quæ ad invicti nominis immortalitatem facerent abunde consecutus. Sic ille

Provida Pompejo dederat Campania febres
Optandas, sed multæ Urbes & publica vota
Vicerunt.

Innuit Poëta, fuisse præposteræ in eò pietatis quod æternis consiliis minores animos intempestivis votis fatigarit. O curas hominum; ô vota nescia quid velint, quo pertendant

dant? iſta præſertim tantæ gentis, prorſus ignara quantum civici ſanguinis eſſent hauſtura. Qua nobis nunquam ſatis intelliguntur quæ, dum brevi fortes (dicamus & ſtulti) ævo jaculamur plurima divinitus obtingunt! Non providit vitam Pompejus niſi ad illa ut ſe penetraret ſpatia, quibus fateri cogeretur eſſe ſe quovis miſerrimo miſeriorem. Abſtulit ei Pharſalus exercitum validiſſimum: eadem ſic afflixit, peſſumdedit Romanam libertatem, ut nec ſpes ſuperfuerit illam recuperari quandoque poſſe. Ipſum vero Pompejum ſic attrivit, ut in extrema conſtituto tegula, nullum ſuper extiterit præſidium quam in ſola fuga. Brutus quo ſe victori ſubduceret, uliginoſæ paludi cœcæque nocti ſalutem ſuam coactus committere ægre Lariſſam ſe recepit profugus. Litteras inde ad Cæſarem deſtinat. Cæſar ad ſe in ſua caſtra evocatum, ſumma humanitate complexus tam benigne habet; ut ad ipſius inſuper interceſſionem, vitam Caſſio largiretur. Ambitio humana quoties cum adverſa ſorte conſpirat, ecquid infectum eſſe patitur? Illa ipſa tanto ſanguinis profluvio comparata victoria fuit quæ ſicariis ipſum ac percuſſoribus tradidit. Hoſtibus ignoſcere qui norat Cæſar, dedidicerat in ſemet ipſum non eſſe crudelis. Tanta eſt labes quæ per tyrannidem contrahitur improbitatis, ut ſi vel illi eximias aliquas virtutes habitu exercitioque continuis ſuas feciſſe videri poſſint, eædem ipſorum in necem atq;

minium durent. Si quid interfecit per vim ac violentiam in præceps se agunt pronos: tantundem, si qua longius excurrentibus iris fræna aut modum ponant. Nihil illis deploratius, si quæ attollere deberent, deprimant; quæ deprimere, in altum extollant. Unicum cujuscumque tyrannidis axioma est, aphocismus unicus, *Aut tyrannis ne sis, aut cum sis esse nunquam absiste.* In extrema quævis mortales citius odio quam metu feruntur. Spiritu velut recollecto, desistit metuere, qui tyrannum observat ad mitiora divergere. In desævientem asperatur pertinacius atque intenditur quidquid est odiorum tyranno interim nihil remittente sed diriora diris crudeliora crudelibus adgerente. Fateor tales quidem graviores manere exitus, sed non tam properos, accommodante ipsis diuturnius imperium pertinacia, quam quidem vitam juxta carum habet; sciscitque duraturæ potissimum tyrannidis argumentum esse, quod jam num tam diu duraverit.

Nesciebat Cæsar in quas partes orbis terrarum Pompejus se recepisset. Aperit rem Bruto: quid sentiat requirit: sic illi conjecturas quas faceret approbante Bruto, ut omnibus posthabitis movenda castra, recta in Ægyptum ducendas copias judicaret, omnium compos factus, Pompejo jam tum è vivis sublato: cujus recisum à cervice caput ei Ptolemæus mittendum curavit quanto ferrumine Cæsarem sibi junctū vellet tanto, si displacet, argumento revicturus.

Non

Non est ut unquam Vir bonus cuique cor ſapit, ſeſe hominis improbi atque ingrati poteſtati tuto permittat. Niſi quid fortean & ipſum fiducia teneat, alios ſe non minus improbos nefaſtoſque, in eandem allicere ac pertrahere naſſam poſſe.

Qui omni poſito metu ſecurus agit ex quo ſe homini improbo permiſit, Virum quidem bonum illum dixeris; at providum nequaquam. Ex quo ſe permiſit habetur in feralem victimam adſervandus: caput ubi collibitum fuerit præbiturus, nullâ adeoque percuſſorum invidia, quibus ſpecioſi in necem illius obtentus uſquedum præſto eſſe poſſint. Eſt ſceleratis Regum miniſtris, eſt ipſis ſolemne Regibus, ut eximia virtutum nomina habeant ad nutum, quibus cum ſic res exiget ludere, abutique poſſint, illorum in gratiam quos demereri ſtudent, profanaturi quippe vel omnia, modo ea quæ in oculis habeant, vel ſic reddant ſua. Id ipſum, quantumcumque antiquum ſit vetuſque non in annos modo aut menſes, ſed dies quoque ac quævis temporum ſpatia nimium fœcundo proventæ ſeſe reſeminat. Virtuti deputandum, malo ſi quis tempore, inter malos, bonus eſſe ſuſtineat: eſt tamen aleæ periculoſæ plenum. Palmam ut optimus omnibus iſtis præripit, quæ ipſemet eſt improbiſſimus peſſimuſque. Quod ſerio cum agit, ut privatim ſibi bene ſit, comprimiſque ut latere tecto malis agat inacceſſus, ſimpliciter quoque

ac bona fide annititur ut viri optimi videantur quos infandos novit pessimosque. Semper his, quantumcumque talis credatur, est virtus aliena formidini. Quod regnaret Pompejo cujus regnum patri is restituerat Ptolomæus debebat. Hoc ipsum, (quid Deo tam sacrum sanctumque ut sacrilegum non inveniat?) in caussam trucidandi tanti viri evaluit. Nempe erat ut omni divino humanoque jure calcatis, pessumdatis hospitii sacris, idque vel sub ipsos infestissimi hostis aspectus avulsum hoc humeris caput, ac corpus sine nomine jaceret, quo transtulisse in Cæsarem ista videretur beneficia Pompei quibus reponendis imparem se sciret, Cæsarisque se sibi proniores affectus conciliare posse Ptolemæus anguraretur. At Marcus interim sceleris reus peragendus est: debuerat in facinus diis juxta hominibusque invisum protinus ultore gladio animadvertere, fiduciamque tam nefariam revellere, qua fretus scelus hoc sic perfici posse credi voluit, acsi Cæsare tantum non jubente fuisset patratum; seque tanta mercede Cæsari probari posse. Habeat quidem instar quoddam prodigii idquod jam sum dicturus. Mihi bonus esse potest etiam qui propalam est improbus, si factorum inter se atque exemplorum instituatur comparatio. Si cui circa hæc Cæsarem cum Ptolomæo lubet componere, negari non potest, juste egisse Cæsarem quod vita regnoque potiri Ptolomæum voluerit,

cujus

cujus beneficio caput Pompei jam tum esset consecutus. Videri nempe potuit voluisse ut isto clareret facto apud se locum gratiæ dari, nec non beneficiis. Interim cum mascula illa quam requirimus virtus Cæsarem destitueret nec ei ad exemplum statuendum satis esset animorum pudor ipsum tenuit, ad tam inauspicatos dirosque aspectus (sibi utcumque gratissimos) ulla explicare lætitiæ signa. Erat ei, humani ingenii in morem, in proclivi, ut rideret, cœterum vero coactissimas quoque lachrymas oculi ad hunc casum quantumcumque pumicei ut exspuerent à se impetravit. Omnino justum est ab inimico sibi metuere, quo ne si minoris ipsum feceris, si præ te contempseris, incidas in noxam: est vero animi quam prorsus dejectissimi, ab eo sibi non alio nomine metuere, quam quod metuas. Id vero, apud sexum quem sequiorem viri vocamus, pro vili est, atque infami quoque. Forti ut ab adversario timeat sibi, metus in proclivi est: timidus nec id ipsum sine metu transmittat, quod sentit se metu percelli. Metuit proinde incessanter, nec ullum sibi metuendi terminum sciscit; nisi quid una cum metu, simul omnes metuendi caussas è medio sustulerit; sic sibi demum tutus, sic nec ullum exinde habiturus, qui quocumque tandem modo in ipsum retorqueat illum ipsum metum, quo cruciabatur.

Narrat Plutarchus in vita Phononis, ſummi apud Græcos imperatoris, rebus Athenienſium per Macedonem Philippum admodum accisis, & jamjam in ruinam devexis, nuntio Athenas de morte illius delato, agitatum fuiſſe inter animas nil magnæ laudis egentes de lectiſterniis decernendis, ſacrificiis inſtaurandis, aliiſque lætitiæ publicæ edendis teſtimoniis, quibus indignabundus Phonon intercesserit, indignum tanti populi majeſtate dictitans, prodere per illa lætitiæ ſigna, quam formidabilis ipſus fuiſſet viſus, quã formidatus Philippus dum in vivis ageret. Eundẽ agit, alterum quam ſerio perſtrinxiſſe, Homeri ad id citato Hemiſtichio, qui male de Alexandro eſſet locutus. Nemo negaverit noſtra nobis è re evenire quod hoſtes interciderint: idem tamen dicet juſtiſſimam eſſe hoſte perempto gaudiorum quæcumque inde percipimus diſſimulationem. Majorum quoque operum capax ille, qui in manu rationem habet, & pro ratione judicium, cum gerundis rebus animus fortis præſtandus eſt. Novimus illud EnnI

Et Romanus homo tamen, etſi res bene geſta eſt
Corde ſuo trepidat.

Indigne ab inſubribus habita Frederici Ahenobarbi conſors, ultima iiſdem cauſſa ſtetit cur funditus Mediolanum periret, atque aratrum hoſtile muris illius tantus imperator imprimeret inſolentem per exercitum. Fuit hic ipſorum

rum abſenti inimico inſultantium improbæ lætitiæ finis, totis torrentibus fuſo ſanguine vindictaque non niſi per internecionem ſimul omnium expleta.

Cœterum quantulamcumque maculam hic totiens nobis laudata Marci Bruti virtus videri poſſit contraxiſſe, nec virtus ſola, verum ipſa quoque fides, & ſuis quoque meritis præluſtris illius nominis quo clarus apud omnes magnuſque ferebatur, quod Cæſari viam non minus quam prædemonſtraverit: aſſequi Pompejum qua poſſet, ac delere. Fuerat ipſe Pompei miles, illius in armis pro libertate Patriæ contra Cæſarem conſtiterat. Quis hic animum cum fortuna mutatum laudet? quis non debitam imperatori requirat obedientiam ab illo qui ſe volentem illius partibus jam ante addixerat? Sed non eſt de inſtitutis factiſque magnorum virorum aliter quam mature cunctiſque rite exploratis decernendum. Nobis utique æquiſſimum ſemper viſum, nulla graviſſimorum criminum aſpergine tam illuſtres tam conſpicuas teſtataſque virtutes fœdatas velle; niſi quid aliter fieri debere diſcuſſis omnibus ſit liquidiſſimum. In omnibus ac per omnia vir mihi is eſt bonus, qui ſolidam veramque bonitatem in iis quæ deſignavit occœpitque, conſtanter, nuſquam ſibi diſpar explicuit. Habuit in ſe factum hoc Marci Bruti quid altius in receſſu, & quo primos ad obtutus penetrare in expedito non ſit, in crimen protinus omnia rapientibus quæ

ſibi

ſibi minus probantur. Ita ferme lippientes oculos ipſa lux infeſtat, & effecti male viſus impotentia, transfertur in objecta, quæ ſeſe aut potentius in oculos male ſanos immittunt, aut emiſſum non ſatis firmiter lumen vi potentiore repercutiunt. Marcus Brutus Romæ quoaduſq; privatus egit, Pompejum nec amore nec amicitia dignatus, etiam à comitate ſalutandi Virum principem inter cives abſtinuerat, memor videlicet ipſo authore patris interfecti. Ergo quidquid odii, quidquid odio ex illo contractæ æruginis animum obſederat, laborante patria; illius in extremum adducta libertate, poſuit bona fide, ſic quoque, ut una cum ipſo idem ſubeundum diſcrimen armis non ſegniter aſſumptis totus judicaret: illius auſpicia, ac ſub illis Patrios (ita ſciſcebat) Deos ſecuturus. Hæſit proinde ſic Pompejo, ut nuſquam abeſſet, quamdiu Pompejus ipſe parem ſe credidit illi ſe aſſerendæ, tutandæ, cujus jugulo parricida Cæſar immineret. Is vero cum prælio tanto victius, nec ſe quidem ultra recolligeret, omni ſpe abjecta, nullas in adverſum vires renovaret, poſt relictam, unde in omnia regimen, urbē omnibus deſertis, (quod propudioſa id illius plus ſatis teſtabatur fuga) cuncta haberet pro conclamatiſſimis; alia atq; alia in fata ſe vocari ſenſit, & ſubiit mentem patriæ pietatis imago, quid à ſe patrii manes exigerent revocavit ad animum. Hactenus almæ matri ſuæ Romæ atque illius libertati ſe ſacraverat: ſuper-

erat

erat inultus pater, cujus manes vindicias ab illa manu nunquam non reposcerent. Tum demum viam invenisse sibi visus est, qua nexu illo se exolveret, etiam citra crimen: in paternæ cœdis authorem quid sibi licere vellet fors rerum, observans: recrudescente in horas vulnere, quod alte adactum pressumque, ipsimet sibi hactenus subduxerat, inferias immolandas paternis umbris judicavit, eas nec alias esse debere quam Pompejum, cujus sceleri pater ipsius procubuisset. Quod jure poterat, Cæsari illum permittendum censuit: experiretur ergo Is quid posset, cui nisi illo interfecto nulla ab armis requies esset futura, non tam quidem sibi à Pompejo metuenti, quam à piis illorum obtentibus, qui quoadusque stabant ab illius partibus, parariam sibi nequaquaversum habeant erga Patriam pietatem. Nemini nostrum non constat, istis Brutum vixisse temporibus quibus necdum affulsisset Evangelii gentilium profligatis tenebris splendidior lux, quæ amandos etiam inimicissimos ingerit, quæ sanctissimis hortatibus præceptisque toti mortalium generi securitatem apporrigit, dum junctissimos omnes agere vult fraternum in modum. Quod ipsum è nobis quilibet huic Evangelio quisquis adhæsurus nomen dedit, notaret vel ultro, ni quid in peccata ruendi pronior lubido, & pro lubidine sequior impulsus, obcœcata mente oculos teneret. Illa nos ipsus

etiam infra belluas sæpe deruet, obbrutescente quam circumferimus auræ divinæ in nobis particula, dum impotens sui, unam iram non sustinet. Hac superante, cursu indefrænato in contraria omnia ferimur, proruimus. Ne quid in crimen desit, inimicos nobis amare jussi, non alios inimicos unice deperimus, quam qui in animarum nostrarum certissima exitia, noctes diesque pervigiles incumbunt; erga illos cæteroquin ingratissimi, qui nobis benigni, propitii, vitæ morumque candorem amplectuntur, quibus homini conveniens voluptas judicatur, hominem animans Deo gratissimum, quacumque datur, servasse. His certatim disjungimur, quòque dissilire ab iis bona nos fide testemur, hæremus illis, qui Deo & quæ nobis imperavit res sibi habere suas jussis, nulla spirant, quam quæ probantur quibuscumque profligatissimis. Quod quid aliud, quam totos nos malæ menti transscribere? Egregios vero interim nos, qui, cum sacrosanctæ hujus legis castimonia mites velit, comes, beneficos, alii sumus, nulla non obtendimus, ut vel ipso scelerum in molimine pii videamur, laudem vel à criminibus nostris mutuaturi; atque in Marco Bruto hic interim indignabundi culpamus, quod justissimas simultates Ethnicus ipse, tam sibi diu suppressas in vindictam se efferre sit passus. Quasi vero non fuisset illud inter heroica istorum temporum Sectæ, quasi vero non talibus qui sic fortiter fecissent, aras decretas, statuas erectas,

divinos

divinos honores decretos latere possit: quasi vero ignorari eadem omnia vel talibus qui de se decrevissent fuisse constituta, ut merentibus: quasi vero nec criminis qualibet morte piandi loco apud ipsos subitura fuisse, cladem clade non expiatam, cœdem cæde. Hæc pensantibus nihil Brutus peccaverit.

Qui patitur quod fecit ei jus contigit æquum.

Nihil tum vulgatum, quam nullam ea justiorem legem dari præ illa, quæ artificem necis fraude sua jubeat occumbere.

Absit, ut quam ab hostibus obtinuimus victoriæ fiduciam nostri nobis circumdent, aut prorsus securos reddant. Victor Cæsar, hoc ipso quod vicisset, Bruti in se Cassiique mucrones exacuit. Absit nimia fiducia in armis socialibus, amicorum auxiliis, ipsa fœderum religione Pompejus, si quid Brutum sibi non sociasset, nec illum fuisset habiturus per quem supremæ necessitati fuisset objectandus, loco in quem fuga se proripuerat detecto. Ipsas per victorias victores subvertere, frequens Dei beneplacitum est, non sinentis ut qui victorem se videt, sinceros victoriæ fructus suos faciat, lucreturve. Adde quod & turpius sit victoria uti nescire, quam sit vinci. Quò in decretas sibi pœnas pro de destinato exeat divinum numen, sui juris agit. Non permittit ut justitiam suam sociemus illius calamitati, quem armorum sors depressit. In victores ipsos recidere

quandoque quæ velit, tacitus, nobisque non assequenda, sibi servat. Deus ut attenuet, locupletat; in summa evehit quos modo deturbatos velit. Contrà, sæpe per ipsa, opprobria ac rerum ludibria effert depressos. Triumphis clades præludunt, viam emuniunt; assurgunt è sterquiliniis throni. Esse hæc ipso vero veriora docent nos Brutus, Cæsar, Pompejus, docuit quæ excepit illos omnis ætas, docebit quæcumque ventura excipiet: docebunt omnia perpetuam rerum vertiginem aliis legibus nec evolventia, nec evolutura.

TEXTUS.

Adversus Catonem & Scipionem in Asiam trajecturus Cæsar, Galliæ citeriori Brutum bona quadam ejus provinciæ fortuna præfecit. Cum enim reliquæ libidine atque avaritia eorum quibus commissæ erant, tanquam bello captæ diriperentur, huic prius toleratarum miseriarum levamen & solatium Brutus fuit; omnium suorum beneficiorum gratiam ad Cæsarem referens. Itaque huic in Italiam reverso, urbes Bruto creditæ jucundissimo fuerunt spectaculo, augente simul gloriam ipsius Bruto, qui unà circumibat.

EXCURSUS.

Pravo rectori Provinciæ bonus ipse quisquis succedit,

non

non bonus modo eſt; ſed fortunatus quoque. Intendit quippe illius bonitatem nequam prædeceſſor, à quo quanto reſilierit longius, tanto ſe viciſſim præſtantiorem exhibet. Male habitam alii provinciam qui moderatur, non ei modo præeſt; ſed reſtaurat quoque illam, refocillat, ſibique reſtituit. Præcipuè ſi conſtanter averſum refugumque ſe ab iis quæ ab altero male geſta ſunt ferens, ipſis rebus factiſq; teſtatur, nunquam eſſe imitanda quæ turpia. Iſta præterquam quod per ſe ſunt opprobrioſa obtingit, ut plurimum uti quæ in publicum exitialia ſunt, in ſequelam trahant poſt ſe. Tanta Marci Bruti virtus fuit, tanta alieni abſtinentia, tanta integritas, ut ipſum quoq; Cæſarem civitates deamarent, quem ante habuerant inviſum. Utiq; ei nec alia quam quæ juſtis piiſque Principibus præſtari ſolent, obſequia conſtat fuiſſe præſtita. Quæ bonorum Magiſtratuum ſunt benemerita, quæ laudes, omni jure in ipſum Principem transfunduntur. Hi ſi pravi ſint, omnium querimoniis eodem Princeps jure pulſatur. Statuant proinde Principes, quotieſcunque Civitatum aut Provinciarum rectores legunt, eſſe quidem quos legerint, alias à ſe perſonas; cæterum tamen, ipſos ſe, qui qualeſque ſint, ſpectari in illis quos legerint. Hæc circa, ſummis poteſtatibus Sol imitandus, qui ſuis velut radiis deſcribit quam clariſſimè, quid eorum ſit muneris. Ut videmus, implet ipſe totā hujus mundi machinam rotum noſtrū hemiſphæriū majeſtate ſua.

Quæ circa motus convolutioneſque illius accuratiſſime ſe occupavit Matheſis Aſtrologica eſt, cujus ope quem ſe ferat obſervamus docemurque, ut nuſquam curſu ſuo deſerto feratur in remotiſſima, pari quaquaverſum influxus tenore, legis ab illo à quo donatus ſua luce eſt creatuſque datæ ſic apprime tenax, ut nec ei reſiſtere uſpiam aut imperium detrectare videri poſſit, nec tamen coactus obedire. Is cum omnium quæ orbis habet maximus ſit, illuſtriſſimaque exhibeat, quæ ſequi atque factis exprimere Reges fas ſit documenta; merito ab illo diſcent eò ſe forſan ſe ferre quò convenit, at non ſic tamen, ut velut à tramite ſuo devii, aut remenſuri quæ jam fuerant emenſi alienis velut in diverſa abſtracti deſideriis. Quæ tanta illius tamque exacte conſtans ordinis ſui cuſtodia, pulcherrime in iis quæ ſibi ſubdita habet eniteſcit. Nec hilum ſe quidem ſolari in corpore ſpectandum præbet, quod non ſit regale. Pervigil eſt, ſublimis, indefeſſus, ſuas ſe intra metas exactiſſime continens, nulla ſui commodi habita privatim ratione munificus omnibus, aſt unicus ſemper princepſq; quem tota rerum natura blando amplexu tenet, utpote à quo ſummis de die in diem commodis locupletur, foveatur, perque elementaria miniſteria (neque enim quid rectius elementa dixerimus quam famulos ſolis) reſtauretur, & quidem nullo ipſorum dum ſic famulantur diſpendio, cum nec ab ipſis mutui ſumat quippiam, quod non mutuatum cumu-

cumulato cum fœnore restituat. Ipse quidem quæ dederat recipit;sed ut & plura dare ipsemet possit,& iis quæ dederit etiam potiora recipere. Neminem in muneris sui curarumve partē Sol adsciscit. Istis ne filios quidem ipsos recte admoveri,docet Phaetontæa fabula,quæ tricuspide telo à Jove dejectum narrat in flumen Eridanum , & vel tunc cum caderet, in cineres defluentem. Est ea quidem hactenus fabula : cæterûm si quis Principum simile quid designet , rerum summâ à se abdicatâ , doceretur nomine mutato, hanc de se fabulam narrari ; idque malo suo, eodemque præsentaneo. Desit in hac parte sua Poëtæ fides. Verius est credamus , nullum Principem tam sui deminemisse, ut sui suorumque incuriosus Regnorum, devolvatur ad tam non digna regalibus moderamentis. Altera quoque est fabellæ istius vanitas , quâ timoris admissi, ut utcumque paterno pro affectu, quem nullus vincit, Solem redarguit. In quo ut nec metus locum sibi inveniat, sic neque ulla causa metuendi. Non est huic absimile de Daphnes amoribus commentum. Benet habet,quod illam in laurum conversam cum vult, doceat insimul, amores Regum si qui sint, non debere esse nisi regales ; Si qua ex amore deliquia, eadem infra Regem non esse debere. Petatur & hinc alterum non alienum à regali fastigio , Regium scilicet esse , eas non adversari , modeste quin imo cis movere, quos non improba spes eò provexit usque , ut sibi

ſibi fiſi crederent poſſe ſe navare egregio publico operas non inutiles; quibus tamen nec ſufficere aut pares eſſe ipſe ſua pro prudentià ſciſcat, vel hoc ipſo animum illorum ſuum facturus, regnique ſui amori innexurus, quod non deſperare, quin imo inſignes uſquedum niſus protrudere ſic juſſerit, velut eum ad modum ſuo calculo tacite adjecto. Quæcumque in ſubjectas terras Soli exercentur imperia: ſolus exigit. Quæcumque fecerit, omnia ſunt cœlo teſte acta peracta: quid effectum ſit omnes cum pervideant, nemo agentem quid vidit, aut huic illive ſe præ ſolito applicantem: ſtupet ad effecta qui nec agenti ulla inſtrumenta ad manum videt, nec ad agendum delecta temporis ullius præcipua. Eſt in ipſo majus quid etiamnum atque auguſtius. Ipſamet illius quæ videri poſſent deliquia (Eclipſeis vocamus) largè quibus doceantur ſumma iſta nomina ſufficiunt: quin ad ipſos ſe quoque miniſtros, quos rebus admoveri viſum ipſis ex bono publico, tota porrigunt: docent quã ſit illorum ſuo ſe metiri modulo, ſuo pede, toto erraturos cœlo, ſi quid (pumiliones ſe eſſe ſcire cũ debeant) infruniti præſumere ſuſtineant, Herculeos pedibus ſuis cothurnos aptari quãdoq; poſſe: ſi neſcire eſſe ſibi ſubſiſtendum, ni quâ in ruinas properent. Et ſunt quidem hæc & eorum generum moderamenta, quæ in publicas res negotiaque adminiſtrantibus, haberi evaleant pro meteoris. Placidus demum Sol eſt, inturbidus, ſe ſemper adæ-

quans,

æquans, ac ſibi æqualis. Telluris, omnium quæ ſub ipſo punctum non datur, radiis ſuis quod non colluſtret: in omnia, medioxima, infima, ex æquo fertur: ad hoc videlicet creatus à Deo ſuo creatore, ut probis ſit reprobiſque ſemper idem. Munera ſua ſic dividit, ut illa recipere apta ſunt, in quæ dividit. Agnoſcas ex eo fideliſſime ſuo famulantem creatori, qui non aliter ſibi commiſſa diſpenſet quam ut juſſus, ſua quique expedit pro corporum rerum temporumque articulis. Hos ultra citraque conſiſtere ſe non poſſe novit prudentiſſimus. Hæc illi (fas eſto ſic dixiſſe) ſphæra activitatis. Quibus cera emollitur ignibus, limus indureſcit: idem urticarum qui roſarum nutritor: nullos ad interventus, interceſſiones, quarumcumq; demum planetarum, aut quos terra producit fructuum, aut formas innovat, aut vires immutat. Cum placidiſſimum credis, acerrimo calore percellit. Eſt ab ipſo, oculi noſtri omnia luſtrare ac perluſtrare ut poſſint, modo talia ſint, ut videri poſſint, oculis tamen ipſe noſtris cum nihil adſpici patiatur, præter id quod ſui ut videre poſſent id ipſum muneris eſſe jam ante voluerit. Hic illis terminus. Perquiri non vult tanti fulgoris interiora: nec quibus ſe locis condant. Atque hoc illud punctum eſt, quod habet ſolum ſibi unique, ſuprema Majeſtas: hic illi cardo, hoc centrum. Eundem Solem reges ſibi ante oculos habere velim, quò

ab illo discant, quanti discriminis rem aggrediantur cum summis regni rebus adhibent eos, qui gerundis illis aut non sunt pares; aut non digni, idque nulla alia ferme de caussa, quam quod hæc ipsis vitiosa lubido imperet fieri sic debere. Abscondit ille vultus aureum sui jubar atque obnubit, quotiescumque ab intimo telluris sinu illos attollit humores, qui nubibus permixti, cum iisdem velut in coagulum coëunt, ac dum coagulantur, pulchri quidquid is habet splendidique, tristi obtenso velo decolorant atque offuscant. Quod ab illis intensius fieri velim circa ministros illos, quos à se proximos, sibique minimo minus vicarios legunt, neque alios habere possunt quam pro opere suo, pro corporis sui parte. Adspecto Sole, quæcumque famulantur sydera, lucere absistunt, atque ultro quidem, nec secius, quam si quidquid esse in se luminosum cognoscunt, sciscant supprimere se debere, atque à se, quoadusque majus istud adlucet lumen, abdicare. Nullo hic Solis imperio: neque enim ademptum luminis ipse quippiam syderibus velit, nedum ut suo lumine superobrutum omnino destrui, aut extingui. Id si ageret, tyrannum se aut proderet, aut nullus judicii, certe desultorii, quà sic ea destrueret quæ ipsemet præ cæteris eximia esse voluisset. Peccaret utiq; in ordinis illius quem tuetur servatq; constantiam. Ostendit modo sufficere omnibus id quod habet luminis, quod per se, atque in se tale sit tantumque, ut minoribus

noribus ampliore illa qua præ valet magnitudine ſic ſuper-incumbat, ut ne quidem ſecum collata minora luminaria, ſint id quod eſſe videntur. Tantū interim luminis habent, quantum Soli, ipſis ut departiretur, expedire viſum. Hinc illis lux ſua non alia quam pro uniuscujuſq; modulo, quam pro conceſſo, major modo aut minor. Sole interim eoſdem ſemper oſtentante vultus, mutari neſcios illos, & majus quid minuſve nuſquam admiſſuros, nedum adſcitii ſibi quid circumdaturos. Diverſum plane in regiis eſt miniſtris, qui ſi conceſſâ majorem ſibi uſurpare lucem annitatur, ſuique proinde Solis lumini obſtruere, revera atque ipſo facto obſtruunt. Quantum in majus ipſi creſcunt, Sol tantum decreſcit: ipſis quidquid accedit, Soli decedit. Eſt deniq; monarchicum Solis imperium, ut quod non ſit niſi unius, ipſamq; repræſentet æternitatem. Idem ipſe eſt qui fuit ab exordio mundi, nec alius futurus quantiſper ſibi hærebit univerſi compages, ſtabitq; cœlum loco ſuo. Non inficior, mutati ordinis ac tenoris exempla, in ſacris, ut utcumq; paucula, tamen occurrere, nempe cum ſub Joſua curſum ſuum inhibuit, ſub Achabo retro ſe egit, cum patiente ſervatore noſtro, toto lumine, tenebris quidquid erat terrarum invadentibus, defecit. Sed iverunt iſta in miraculum. Pro reſponſo ſit, quod factum hoc à Domino: eſſe ut viſum hoc mirabile in inferioris hujus mundi imperiis agnoſcamus. De acie contendi, Regem qui præſens eſſe poſſit,

præſensque, juſſurus, diſpoſiturus ſit prout videretur, nolle turbari imperia illius quem exercitui præfecit. Subſiſtet curſu tantiſper inhibito. Da, res imperatori iſti non ſucceſſiſſe pro voto; etiam retro ſe feret, ut erroris illi emendandi, aut animum recolligendi ſpatium relinquat. Quin imo, etiam in quandam velut mediam ſe noctem abdet, ſicubi ea quæ prævalere nollet, præſentaneis majora remediis agnoſcat, nec ſciri velit quibus averruncandis, revellendis, etiam in meliora collocandis ſit impar: manum aliàs iiſdem illis, ſimul atque è re fuerit, admoturus. Cum ſic ſe componunt reges, rerumque quas admoderantur ſtatui conditionique attemperant, tantum abeſt, culpari, ut poſſint tanquam aut ordinis aut ſtationis ſuæ deſertores; ut à prudentia potius laudari mereantur. Sed ad Cæſarem Brutumque. Imitatus eſt Cæſar Solem, cum Galliæ Cis-Alpinæ Brutum præfecit. Nimirum ipſe quidquid id honoris fuit, Cæſari acceptum ferre debuit: honorari digniſſimus, qui integre caſteq; adminiſtratâ provinciâ, tantò ſucceſſorem ſe optimum probavit, quantò ſucceſſiſſet peſſimo. Idem è provincia in Italiam redux, toto aſſe in Cæſarem contulit, quidquid benevolentiæ, quidquid amoris ſibi comparaverat: eodemq; facto, Gallos, imperiorum præteritorum, male habiti quod fuiſſent, pertæſos, ex obſtrigilantibus, refractariis, duris, addictiſſimos, obſequentiſſimos, benevolentiſſimos reddidit. Omnibus proſpere fæliciterque

liciterque in Cæsarem derivatis, honorem ei suum est gratificatus, omni eorum quæ accepisset gratiâ non nisi in unum Cæsarem relatâ.

TEXTUS.

Multæ sunt in Republica Præturæ, quarum quæ urbana dicitur, dignitate cæteris omnibus præstat: videbatur autem eam vel Brutus consecuturus vel Cassius. Sunt qui dicant hos, cum jam ante simultates, nescio ob quam rem mutuas exercerent, gravius tum ejus præturæ caussa contendisse: cum quidem Juniam Bruti sororem in matromonio Cassius haberet. Quidam Cæsarem utrique occulte suam pollicentem operam in hoc certamen eos pertraxisse ajunt. Brutus virtute ac gloria adversus multa ac præclara Casii Parthica facinora contendebat. Cæsar auditis eorum petitionibus, cum amicis de eo negotio consultans, justiora afferre Casium, Bruto tamen priores dandas duxit. Ita Casius alia Prætura ornatus, non tantum gratiæ ob impetratum magistratum Cæsari habuit, quantum iræ ob alterius repulsam in eum concepit. Brutus autem cæteris quoque in rebus potentiæ Cæsaris fructus quantos vellet percepit. Ac licebat sane ei primo inter Cæsaris amicos loco esse: modo ita voluisset. Sed eum Casii societas à Cæsare ad se retrahebat, tametsi nondum reconciliata cum illo gratia. Verum amici instabant, hortantes ne se ipsum à Cæsare demulcendo emolliri pateretur, sed amicitiam tyranni ac blandicias fugeret, non honorandæ virtutis, sed enervandi roboris, animiq; subruendi causa talẽ se ipsi præbentis.

Et quidem non omni ſuſpicione de Bruto Cæſar vacabat, erantque nonnullæ adverſus eum delatæ calumniæ, ſed magnitudinem animi dignitatemque & amicos Bruti metuens, moribus tamen hominis fidebat.

EXCURSUS.

Frequens eſt, ut affinitates quæque à communi ſanguine ſunt conjuuctiones, ea promoveant, quæ æquius foret per eaſdem ſemoveri, ac vel in totum repelli. Explicabo mentem. Longe ſubinde præſtiterit non eſſe patres filios, ſobrinos, optabiliuſque fuerit, ut cum tales ſint, id quod ſunt eſſe deſiſtant potius, quam ut aliquo iſtiusmodi neceſſitudinum obtento ſipario, juſte ſe per hoc admitti poſſe conſtituant ad illa ad quæ adſpirant, quæq; affectant, conſequenda. Mea hæc eſt ſententia, ad nihil (nedum tanquam debitum ſi foret) adſtringere atque obligare nos debere, quæcumque hinc in pretextum ſumuntur; nec in cauſſam quamcumque prodeſſe. Qui apud ſummates ſunt interioris admiſſionis, id omnino curare debent, ut quos ſibi ſanguine junctiſſimos habent, velint etiam abs ſe quam longe remotiſſimos. Duo id pervincant. Primum, quod omnem ſuam fidem, ac cum fide fiduciam, in illis princeps reponat quos ſibi arctiſſime devinctos, à ſe nunquam avulſos voluit, & tanquam ſui eorumq; quæ ad ſe attinent, eſſe protectores. Unde & merito non alii habentur

tales,

tales, quam si ipsimet essent pars corporis Principis. Illis ergo innixus fidensque, existimat agere se posse securum, & citra indignationem ullorum quibus nec male velit, & qui sui suorumq; habendam quoque rationem. putent hos illosve quos commendaverint promovere. Unde sæpe quam maximæ difficultates oriuntur. Namque cum admodum difficile sit animos mortalium, ac præcipue regum, in manu, atque ita pro ut voveas affectos habere; ilico ipsis ad sollicitissimas excusationes quam anxie confugiendum est si quid disconveniat, aut, tanquam si disconveniret, in sequiorem partem trahi à Principe contingat. Secundum non tam quidem magnum est, sed quod non minus habeat periculi, videlicet, si contingat necessarios illos, per tales commendationes dignitatibus muneribus admotos, officii non satagere, deficere, spem de se conceptam fallere, delinquere; in id importune statim incumbant, ut quæ à suis partibus desunt, illorum per quos commendati fuerunt authoritas suppleat. Hi si talia per urgentibus minus faciles se præbent, si cessant, pro gratia odium rependitur: eos quin imo ingratos putant, ut quibus nec ipsi quid debeant, aut cur quippiam debere velint causa nulla sit, cum non tam sibi suisve meritis, quam sanguinis, generisque communis claritudini acceptum ferre debeant id quod indepti sint magnitudinis. Unde & alterum non minus durum, quod vel innoxii candidique & minus prosperos

ſperos commendationis odium ſibi concilient, inque ſequiores de ſe ſuſpiciones induant. Quid ! quod iſtiuſmodi à communi ſanguine neceſſitudines illis ſæpe objaceant paroxyſmis, quos nec per revulſionem de facili cures ! Hoc tot tantiſque exemplis in horas claret, ut ſi per illa eundum nobis ſit, tenebras citius veritati ſimus affuſuri quam lucem allaturi.

Sphalma hìc in Bruto, æmulum ſibi atque in ſe concitante affinem ſibi Caſſium, quem ſua apud Cæſarem qua valebat gratia, non vitæ modo boniſque interceſſiones per ſuas reſtituerat, verum etiam, ut æquatus ſecum contendere de dignitate auderet, effecerat.

Omnibus bene facere, nec in ullo cuipiam officere, non eſt niſi unius Dei. Non tamen id in cauſam ſatis ut quis ideo à benefaciendo deterreatur aut abſtineat. Intereſt hominis hominem beneficio affici : cœterum adhibenda eſt ipſis quoque beneficiis ſua circumſpectio: quidve bene fiat penſitandum. Eſt hoc in Sacro Codice ab ipſo ſancto Spiritu conſilium. *Si bene feceris ſcito cui feceris, & erit multa gratia in bonis tuis.* Quo quidem conſilio, tritum noſtrorum in ore proverbium. *Bene fac, nec quis ſit cui bene feceris reſpice*, erroris convincitur. Non ea mihi mens, omnibus indiſtincte non eſſe benefaciendum, ſive boni ſint, ſive mali, ſivi amici, ſive inimici. Digni quippe boni quibus quam optimè fiat. Mali beneficiis provocandi ut ſeſe dignos

dignos illis quandoque præstent. Amici, qua tales, jure suo beneficia à nobis exigunt. Inimici beneficiis evicti, sæpe fit ut esse inimici desinant. Quæ si probe excutiantur, observatu non difficile est, plurimum in se reconditi habere tam ipsam quam alii aliis ultro debemus charitatem, quam politicam illam beneficentiam, quæ etiam in beneficiis suam parcimoniam vult, & pro judicio rectæ rationis discretionem. Ita est ut dixi, & benefaciendum est omnibus, & quibus bene feceris etiam atq; etiam videndum. Benefacit alicui proculdubio qui illum ad honores provehit. At quam multos reperire est, qui non alio animo ad consequendos honores aspirant, quam ut eos consecutis secure ac tuto improbis esse liceat. Quam ergo certum, ei bene fuisse factum, in quem honor fuit collatus, tàm quoq; est exploratissimum, pessime de eodem illum esse promeritum, qui ut improbus esset effeceris, idq; non alia occasione quam quia per male aggestos sibi honores facultatem ac potentiam se nactum esse agnoscat. Adhibenda hic igitur exacta befacere volenti cautio, cum frequentissime talia contingant. Sed ex adverso nec illud infrequens, ut cui malum oblatum fuit, bonus evadat. Cæsar cum ista in Brutum ac Cassium conferret beneficia, si quid pensitasset ecquinam qualesq; forent in quos illa collatum ibat, occasionem eis nunquam præbuisset vitam sibi post illa collata adimendi. Si quo tempore vitam ac fortunas Cassii suis ad Cæsarem preci-

bus servabat Brutus quis qualisque Cassius esset observasset, præcidere dubio procul æmulationem illam Cassii potuisset atque illius simultatem evitare, ingratiq; eum non arcessere. Tota proinde benefactori cura incumbit; qui sive bene maleve fecerit, aut minus rectè, suas semper sibi partes fert: Cui male feceris, retaliabit, redditurus vices, malum malo pensaturus: male quod feceris totum tuum est, neque alterum tanget, nisi quatenus erit à te derivatum. Nullus hic præsumtioni locus, nullus indiscretæ liberalitati. Creavit hominem bonum Deus, beneficiis cumulavit, omnigenis bonis locupletem voluit diffluere. Quo fructu? cui optima maxima contulerat ingratissimum est expertus. Hominibus inter se quoties usu venit, ut beneficia cum superant, odium rependatur pro *gratia?* Imitandum hic nobis numen, quod incessanter beneficum, ut & nos incessanter benefici simus exemplo & præceptis jubet: cavendum modo ne benefactis nostris deteriores reddamus ullos. Longe hoc potius fuerit, quam ut in illo quod malum est, boni quid nos facere posse credamus.

Certum est, ab utroque illorum sibi jam tum Cæsarem prætimuisse, suspectamque habuisse illorum affinitatem atque amicitiam. Fecit id, ut dividendos illos sibi duceret, separatim secretoque modo huic modo illi spem faciendo consequendæ Præturæ urbanæ. Quâ certe in re judicii nequaquam falsus fuit. Vidit divisos inter se collidi. Facilius

cilius tamen fuisset ipsi non conjungere, quam sic conjunctos dividere. Horum primum ut erat ei factu quam facillimum, sic quoque posterius illud nulla arte nullove pacto potuit efficere. Fato suo proximus est, cui morbus suus, quæq; levando morbo adhibentur, æque exitilia sunt, atque ex æquo timentur. Erat Cæsari opus authoritate utriusque, ut se muniret adversum fortuita. Hæc illi & præsidio futura videbatur, & ad fœlicitatem suam itura. Quare amicissimos illos sibi ut haberet omni ope contendit. Nec minus interim illius intererat, ut ipsis inter se disconveniet. Artibus ergo illos ductavit patritiis, unâque atque eâdem beneficentiâ ut & convenirent, & à se ut dissilirent, catè perfecit. Sibi interim suæque securitati neutiquam profuit. Nam satis factum Bruto, qui licet primas tenens, ipso teste Cæsare, ratione ac jure superari à Cassio fuerat judicatus: non Cassio, cujus præclara facinora, Cæsari post gratiam Bruti fuissent: cujus cum rationes Cæsar dixisset esse potiores, tamen addiderat se Bruto non defuturum; cuique Prætura alia minor urbana concessa, id non æquabat, quod ni Brutus intercessisset, deberi præclarè ab illo gestis, Cæsar amicis edixerat. Cum ad honores venitur, existimant omnes, ex æquo ad eos adspirare se posse, nec meritis ab ullo petitorum vinci. Unde fit, ut ægrè, aut nunquam Principes satisfecisse videantur. Est interim inter impossibilia Principibus ut à

se abdicent illum suam cuique dignitatis ordinem assignandi facultatem, per quam fere est nt regnent, utve omnibus ex æquo hic placeant. Si quod res est libere proferri fas, in honorum distributitionibus magis est ut patiantur Principes, quam ut agant. Quis circa hoc negotium Cæsari animus fuisset, erat Bruto juxta & Cassio ex æquo perspectum. Quo facilior fuit amicis intercedentibus, eorum inter se reconciliatio, quæ ut ut magis in labris nata quam in fibris potuerit credi, in mortem tamen Cæsaris duravit: non futile ejus quæ mox hæc excepit conjurationis incentivum. Creditus Cæsar has Præturas tanquam in hamum misisse, se contra conjurandi princeps ansam dedit iis, qui tyrannidem privatim exosi, ne beneficentiam quidem tyranni æquis animis admissuri fuissent.

TEXTUS.

Ac primùm allato Dolabellam & Antonium novas res moliri: Non sibi pingues & comatos negotium facessere dixit, sed pallidos & graciles istos: Brutum indicans & Cassium. Deinde Brutum quibusdam traducentibus, utq; sibi ab eo caveret monentibus, manu corpus suum tangens, An vobis inquit non videtur Brutus hanc carunculam expectaturus? significans, tantum quanta ipse præditus esset, potentiam præter se nemini, nisi Bruto convenire. Et vero videtur Brutus haud dubio princeps civitatis futurus fuisse

se, si aliquamdiu tantum priores Cæsari, sibi posteriores relinquere sustinuisset, potentia illius & tot rerum gestarum gloria elanguerct.

EXCURSUS.

Non est pertimescendus, quisquis animum culturæ corporis emancipat; quive ad instar belluarum, quas natura ad pastum projectas fecit, unum id, belluis ipsis hoc illo belluosior, accurat, ut se probe saginet. Quod comendo componendoque se capillitio ingenium impendit, non est ut capiti ipsi, quatenus arx est rationis & palladium, multum à se impendi debere confiscat: nedum ut conferat, ei ve se regendum permittat. Illa ipsa ornandi, molliter, delicate habendi cappillitii cura, quantulum abest ab ascititiorum falsorumq; crinium quæsito contextu? Judicii alicujus ingeniive aliquod argumentum ut sit, longe est. Gulosum qui videt, dixerit is, multum se hominem videre, dixerit amplum, quatenus quæ carnium moles illius animæ (si quam habet) circumfunditur, amplitudinis in multum protenditur, ipso suo pondere gravis & molesta; cœterùm nequaquam est animo ut valeat. Illum talis sarcina emergere non permittit, sese ve exerere, quin etiam qua premit affligit, afflictum tantum non suffocat. Hoc torpentem facit, hoc ut ad nulla sese pulchra aut præclara quæ sint applicet. Quicquid è melioris par-

ticulæ circumfert occlusum, ne dictamina quidem rectæ rationis excipit, nedum ut facessat quæ ab illa mandantur. Nec mirum, cum nihil admittant isti mortales quam quæ palato, ventri, peni, lubentiam concilient. Otio dum affluunt eidem succumbunt. Ei potissimum sic dediti, ac si mancipes forent, & vectigales. Si quæ tamen alicujus in ipsis laboris trama, vestigium, aut vola, in eo est omne, ut alienos oculos vestium quas jactitant nidor percellat, ingeniosæque porro ut gulæ cumulate satisfaciant. Bene recteve facere nescii, satis habent, quod, se potioribus ut male velint, intus habeant; suamque hanc malevolentiam ubicumque sunt, seu lectus eos habeat, seu sagina detineat, secum sine rivali circumferant comitem indivulsam, quamq; nec à se revelli sint passuri. Quo ne quippiā agant, quo ne aliud; nihil agunt. Macilenti contra, & sub-flavum pallidi, aliam longe viam insistunt. Stomachus quem saburrent, ipsis est cerebrum, est ingenium, est in omnia discurrens judicium, quæ torpere, languere, emaciari præ eorum quibus exerceantur agitentur defectu, non permittunt. Quæ vis ipsis digestiva est, homini ut homini animali impenditur, quæ sanguifica, cerebro. Hinc luteus iste ipsis color pallorque, cutem quippe destituente, & in interiora se retrotrahente sanguine. Ille cor circumvallat, tam se fixa sede circa illud detinens, ut vel ipsummet arrodat, modo assequantur, quot-

quotque quibusque modis quos exosos habent plectere, damno malisque multare possint. Si in vindictam feruntur, est alimoniæ loco, quod accurate atque examussim omnia & singula exagitent, cuncta præcipiant, animo ante peragant. Linguam comprimis habent in potestate. Norat Cæsar, se admodum etiamnum adolescentulum, magni nominis Philosopho, eò macilentus quod & esset & pallidulus, & nullius circa vestes curæ, notatum: illo ut sibi Quirites à puero male præcincto caverent, edicente. Verè hæc de se monuisse, edixisse qui sciebat, jure Brutum Cassiumque, at nequaquam cum Antonio Dolabellam habuit sibi suspectos, ut quos crudos, turgidiq; vultus quotidiana reddidisset redderetque crapula, quos sciret animi corporisque vigorem luxu continuo deterere, tutòque popinis, ganeis, lenonibus, scortis ulciscendos permitti posse. Quæ quidem recta, quo ad Cæsaris de ipsis judicium. Sunt interim in aulis qui Dolabellas, Antonios exprimunt, aularum, virorum bonorum pestes. Habent illi obsessos summates, quos ad amœna, placitura, mollibus influxibus subitura, detorquent: subeunte hac illa ducledine, quæ primum mortalibus invisa, ad extremum amatur. Sicubi suos fecere, latrocinantur non ultra ignavi: ut nequid boni rective aut cordati illorum aures admittant, cautionum ipsis summa est. Huc susurri, maligna quarumcumque actionum interpretamenta centurian-

turian-

turiantur, & totos folles destendentia mendacia, hæc ut veritati impervia sint, & si vel revelli queant, ne quis veritati favor sit vel apud volentes, curarum proxima: quod super est, alios arrodendo, carpendo tecte propalamve, ut se res dant, traducendo, consumitur: in omnibus odiorum caussas aut sibi promendas inquirunt, aut repertas evulgant, ac sic quidem vitam trudunt; & quo ne sint nominis prorsus nullius, per infida pacis, per incerta bellorum animos eorum suspensos tenent, ancipitesque inter artes minantur quandoque: tum persæpe acerrimè, cum maximum pavent. Sic regnant, sic pugnant, sic formidatos se reddunt. Alios macilentos illos vultu tetricos, ac silendi pertinaces, ubi quæ animis concepere, profundùm impressa digessere, stant illorum excessus in præcipiti tendentes, ruentes, nihil sistit: impelluntur illis, sternuntur obvia, cœdi stragi promiscuis cuncta involvunt, quæ habent obversantia, incendio, ruinis extinguunt, nullo sibi reliquo facto: solitudinem, vasta omnia cum fecerint, pacem appellant.

Dolabellam, Antonium insuper ne haberet Cæsar tanti ejus non intererat, quam ut in Brutum ac Cassium ageret intentus. Fatebatur illos sibi timeri, nec tamen illos timere didicerat. Intendebant maligna hæc suspicionum apud Cæsarem, qui lateri illius assidui, hirquis obversa tuentibus fortunam Bruti adspectabant. Hinc illa ut à Bruto

sibi

ſibi cavendum ſciſceret monita. Agit interim ſecurus Cæſar, neſcius quis quantuſque inſideat miſero Deus. Amare vel invitus volebat, (quod nulli effatum) quem in ſecundis tabulis ſcripſiſſet heredem, quodque dictum, filium ſibi creditum. Quod non omnino ſupinam ejus incuriam, ſi non & affectatam, per quam ſibi ipſimet verba dedit, ipſe capi voluit, reddere poſſit non omnino inexcuſabilem. Huc illud quod manu ad pectus admota dixiſſe fertur, perinde ac ſi futurum judicaret ut à Bruto ſi vel vultur eſſe vellet, cadaver expectaretur; neque tantam ineſſe impatientiã moræ, aut ulciſcendi ſe cupidum, quanta inſit ambitioni nihil ſacrum, nihil profanum habenti. Quantiſper neſcius eſt filius quæ ſuper eo quod poſt mortem fieri velit juſta ſententia patris ferat, patrem amat, novit ita jus eſſe uti quiſque rei ſuæ legaſſit, eundem ſe cum patre eſſe tenet. Eo comperto ratum illud eſſe judicium toto aſſe hæres ut ſit, detinentur illi per male fauſtam ſenectam bona, quæ non invadit violentius hæres: tam ſe patrem habere non credit, quam nec recordatur paterni id ipſum quod vivat facti fuiſſe: inter verſa putat, quæ nondum tenet. Ambitionem nulla promiſſa ſedant, tanto illam accendunt flammantque admiſſius, quanto largiora ſunt aut minus expectata. Longam qui dives vitam trahit, hæredem habiturus pauperem, inviſus hæredem vivendo necat. Neque cum huic ſua moleſta ſit paupertas,

quam quod ipſe non exeat è vivis. Prope eſt, ut qui id quod alterius eſt detinet, abſolvat ſua repetentem, venturum quovis modo in ſua: utique ſic illum inflammat, ut aut ultra detinentem non ferat, aut citatus ad ea feratur, per quæ ſua faciat, quæ animo jam dudum devoravit ut ſua. Non tam erat ut pallidum ac macilentum Brutum Cæſar timeret, quam ut hæredem à ſe ſcriptum. Erravit, qui majoris id quod eſſet diſcriminis exire ſe poſſe conſideret, per ea, quæ minoris eſſe periculi parum prudens apud ſe conſtitueret.

TEXTUS.

Sed Caſſius iracundus, magiſque privatim Cæſari, quam publicè tyrannis infenſus, eum inflammavit, & ad feſtinandum impulit. Ferunt Bruto principatum, Caſſio principem inviſum fuiſſe. Huncque, cum alias odii cauſas habuiſſe, tum leones quos ipſe Æditium munus editurus comparaverat, Cæſar autem Megaræ, cum urbs ea à Galeno eſſet capta, deprehenſos retinuerat. Magnam leones illi Megarenſibus calamitatem intuliſſe perhibentur. Cum enim cives urbe jam occupata clauſtra diripuiſſent, & vincula ſolviſſent, ut hoſti irruenti liones impedimento eſsent, feræ in ipſos cives converſæ, inermes paſſim diſcurrendo laniarunt, ita ut ipſis hoſtibus hic aſpectus miſerandus eſſet. Cæterum errant qui hanc potiſſimum cauſam inſidiarum in Cæſarem fuiſſe tradunt. Nam jam inde ab initio odium univerſi tyrannorum generis Caſſio natura ingeneraverat: id

idquod puer adhuc ipse demonstrarit. Cum enim Faustus Syllæ filius qui in eundem ludum commeabat, inter pueros patris sui dominationem jactantius prædicaret, insurgens Cassius pugnos ei incussit: quod cum tutores necessariique Fausti ulcisci, & injuriam judicio persequi vellent, Pompejus obstitit, puerisque ad se vocatis de eo quæstionem habuit. Ibi ferunt Cassium dixisse, Agedum Fauste coram hoc viro tuam istam qua irritatus fui orationem refer, ut tibi rursus os ego comminuam.

EXCURSUS.

Qui Cassianæ contra Cæsarem conjurationis caussam putant leones Megarenses, næ illi prorsus ignorant quid Cassio lævæ sub mamillæ parte subsultarit iracundum, acre, fervidum, inexorabile. Si quod Momus desiderabat, cor illius introspicere liceret apposita ad id fenestella, deprehenderetur non tam hominis cor fuisse, quam vincula recusantum rudentumque leonum spelæum, hyrcanasque vel duris è cautibus genito tigres ubera ei immulsisse. Adeo irâ ipse superbiâque ferox, dira tremendaque super omnia concitatum se efferebat ac præcipitem. Talis cum esset admotis stimulis opus non fuit. In Rebuspublicis, istiusmodi mortales, quorum effrænes iras indomiti quoque pectoris impulsus certatim asperant, subinde est ut non sint omnino inutiles; sed rarissimum est, (neque enim ullum hic expectari possit ab ulla disciplina præsi-

dium) ut agnoſcant ipſimet, utiles in publicum eſſe ſe poſſe. Longe Regi ſit utilior, qui cum ad agenda omni, caute impellat & vel ad tuta quævis timenda ſubigat, quam qui ingenium nolit habere intra ſervos, ant infra illos agere. Rex ſicubi regnum probe curat, qui regni curam ipſius religioni commiſſam ſubditus novit, ex quo talem tantamque curam permiſit, totum quoque de facili quantum quantum eſt imperium permittet. At enim vero tales in republica cives quales Caſſius, quique iſtiusmodi ſunt farinæ, horrendas verè leges Majeſtatis pro iſto habent, quod in ſumma poteſtate datur extremum. Ante majeſtatem regiam vel libari nolunt niſi cum de ſtirpe excandicarunt, ut excandicent ea emendari debere præferunt, quæ nec ipſi reges, ſibi ſi permittantur, ſint toleraturi. Tali cum excetra quoties reges contingit committi, inter ſaxum ſtant & ſacrum: ferendo ipſis ſuperatur hæc fors fortuna: ſi contra nitantur ab oppoſitis vires atque animos deſumunt. Tremenda hic, ut in omnibus, pandunt ſe judicia, ſpiſſamque humanarum mentium inter caliginem clarum juſtitiæ jubar eglomerantia. Qui Deus reges non niſi ſibi ſecundos habet, eorumque cui doloribus dolet, non aliud potentius alexipharmacon quam tales admovet, quæ in regibus non probet ſic revulſurus, ab iis revulſis, eos qui reges, Deos quippe, id eſt ſuos vicarios, deteſtati ſunt: æterno involuturus exitio. Regem vaſallus

lus non adversatur qui Deo magis quam homini parere doctus id in ipso non probat, quod Deo suo, cui standum ipsi cadendumque est, novit improbari, ab illis avertitur, quæ illum in nefaria devexum, Deo hominibusque Deum timentibus reddunt aversabilem. At nec sibi deesse tali reges tempore jus fasve sit, nisi quid se ipsos Majestatis suæ regiminis sibi devinitus commissi velint parricidas. Quidquid emendationem regni speciose obtendentibus pro velo deservit, telum ipsis sufficit. Hanc curandi, urgendi, in perfectum statum deducendi sibi jus & pro suo jure esse dicenti, quidquid per facilitatem mollitiemque animi concedit, sibi concedendo eripit; abscissa sibi in æternum illa potestatis authoritate, quæ in istiusmodi Majestatis regalis cunicularios suffossores æterna est, non minus quam adversum quoscumque fures, etiam privatis æterna est in rebus furto subductis autoritas. Hoc nempe Rex agit. tali concessâ licentiâ, ut concessum sibi quippiam, ipsi negent, id quod revera ceperint, cepisse negent, donatum sibi jactitent, donationi titulum accommodent, titulo jus quæsitum, juri quæsito vim, constituti constituto æternitatem. Regnum alto de culmine eversuri tales, regni publicum bonum præferunt: si evaserint superiores omnia susq; deq; habituri: Est in talibus, ut in se collectus sit Rex, totus suus, nihil in arbitrium det, nedum in sequestrum. Ipsis præsertim, qui

regni necessitatibus, distractionibus (si Diis placet) obviaturi, sic accinguntur, ut ab hoc obtento, vel tùm, cum omnia quam compositissime habentur ac modestissime, quidquid usquam regii juris est, quidquid majestatis, sic interversum eunt, & abolent, ut vel mentibus venturæ posteritatis eximatur, quin imo credibile fiat, nec unquam extitisse. Est, quæ Regum est majestas, aureæ massæ non omnino absimilis. Hanc qui malleo subigit, è quadrata aut rotunda oblongam reddit ac teretem: tanto vero tenuiorem, quanto in longius cudendo extendit. Intacta fabrili malleo quæ confringi non potuisset, sic subacta in bracteolam desinit, ad levissimum cujusque spiramentum agenda in gyros, torquenda pro ludibrio. Habent hoc illi regnorum Machaones, ut nihil tam sibi sanctum, tam sacrum, tam non temeratum, tam non temerandum edicant, ab omnibus credi velint, quam regis Regnique majestatem: semper in ore habent nihil à se curari præter illius augmentum: in recto collocatis omnibus, quæ medicas manus requirant: Nec larvam hanc prius ponunt, quam omni, quod sacram Majestatem obarmabat, imperio ad precariam sortem dejecto, aut annullato. Fuit hæc apud Græcos olim virtus Ostracismi, ut premi possent quos virtus splendidior, præclara merita, pro meritis favor, in spes supra civem se efferentes arrigere possent, in exilium ire juberentur. Idem illis erat Ostracismo percelli, quod nunc apud

Ro-

Romanenses referri in Divorum numerum. Causa ei, à rebus bene fortiter, præclare pro patria gestis. Non quidem illa displicebant; sed metus unus is erat, ut ne assumerent superbiam meritis quæsitam sic meriti, nec alia plura, quæ patriæ libertati exitiale quid traherent in sequelam sui. Multum præclaris Scipionis, cui ab edomita Africa nomen, facinoribus se premi Roma cum judicaret; animadvertens ipse Scipio, eam esse temporum sectam, ut integritatem vitæ, morum cum candore gravitatem ac constantiam in ipso S. P. Q. R. suspiceret, ut quæ timeri possent; exilium sibi ultroneum delegit: malle se dictitans Scipionem Roma carere, quam Romam Scipione. At cui non hoc novum medicinæ genus, ipsam exterminare, projicere sanitatem, quò sanus evadas. Æqualitas libertatem consummat: æqualem sibi reddit: etiam ut perpetua sit perficit: hanc, si quid ei inæquale admoveris, è vestigio totam confundas. Hoc illud axioma fuit, ad quod non institutum fuisse, sed à natura arripuisse Cassium credibile est, cum nec puero sibi æquali ferre quippiam potuit, quod æqualitatem hanc exiturum appareret. Non alio suffectus incitamento, in vitam ac fortunam Cæsaris ivit, cujus deinde contagium, ab ipso ad Brutum cœterosque derivatum, pervasit.

TEX-

TEXTUS.

Brutum multi familiarium sermones, multi civium rumores & literæ ad facinus excitarunt. Quippe statuæ illius qui reges ejecerat Bruti subscripserunt. Utinam nunc esses Brutus, & Utinam viveret Brutus! *atque ipsius Bruti tribunal ubi Prætor jus dicebat interdum plenum repertum est hujusmodi literarum.* Brute dormis, neque vere Brutus es. *Horum in Cæsarem populi odiorum causam præbuerunt assentatores, qui & alios honores, invidiæ obnoxios, Cæsari habendos excogitaverant, & statuæ ejus noctu diadema imposuerant, quasi multitudinem illecturi, ut pro Dictatore eum Regem appellarent.*

EXCURSUS.

Erat Marcus Brutus vita ac moribus exacte severus, amicorum vitia non verbis, sed per suas ipsius virtutes redarguendi suetus. Inerat tanti viri silentio sua eloquentia, quam quoties loqueretur solidissima rationum compages stiparet. Ipse interim tractabilem se ferebat ac sociabilem, quo ne rudis aut asper videretur. Eminebat ore illius eminens decus, quod non tam venustas, sed læta, nec minus majestuosa honestaret tetricitas. Pauci admodum risus cum esset, quis foret quantusque è verbis quæ proferret judicari potuit. Hilarem se ferebat, quo ne haberetur treticus, aut ipso quid vultu proferre quod averteret. Corpus

pus ei solidum; tolerandis militiæ laboribus sufficiens. Agendo indefessus, quà poterat, studiis se dabat, summâ erga se majores reverentiâ, promptis obsequiis, cum nulla affectarent quam quæ essent & honesta. Quidquid in eo turbulenti turbative videri potuit, totum id imputandum Cassio, nec non amicis, zelum suum pro patriæ libertate illiusque vindiciis, in quas ipsum identidem exstimulabant, specioso nomine obtendentibus, animumque ipsius ad libertatem per se plus se anhelantem, varie afficientibus. Sed non sunt omnia in Cassium aut amicos conjicienda, neq; enim negari potest Brutum proprio animi motu Cæsaris ambitionem plus satis fuisse detestatum, at nec minus causam ob quam Cæsar arma sumpserat; ex quo domesticarum injuriarum posita memoria à Pompei, cui patrem interfectum imputabat, partibus miles stetit; cum eodem improsperi martis duram sortem expertus ad Pharsalum. Quod alienatioris à Cæsare animi esset texit solertissimè, gnarus quam non tutum sit in illa obversum incurrere quibus se communia omnia vota, totius præsertim populi, non tam accommodant quam substernunt, tanquam si sic jus esset æquumque: quo tamen nihil mutabilius, inque adversus quotiens partes fertur etiam exitio est iis quæ probaverit accessisse, vel cum accesserit à se sequutis linquendo, & adversæ parti tradendo in manus, si non supplicium. Oneri plebs ipsa est, & quidquid ab incondita

plebe ſperari poſſit auxilii. De facili illa convenitur, de gradu dejicitur in momenta verſatilis, animos ſumens, ponens, prout quiſque vel minutiſſimus rerum tranſitus ſumendos, ponendos ſuggeſſerit. Mare omnis eſt multitudo. Quos ad aſtra evexiſſe viſa eſt, ad infimi quoque barathri fundum cogit qua non manet. Nitebantur, quibus tam altum Bruti ſilentium non poterat non eſſe niſi quàm ſuſpectiſſimum, id quo verſum tenderet, pernoſcere, cùm quod conjuraſſent partim gnari, tum quod in eadem cum conjuratoribus ſtudia ferrentur. Ab illis quidem averſum eſſe aut alienum non credebant, *neſcii* tamen exploratura viri animum tentamenta vel per artem placuit adhiberi huc illa ſceſdiaſmata ſtatuis Junii Bruti impacta, huc tendere toto Prætoris jus reddituri, & non viſa ſibi aſſeverare non auſuri tribunali injectæ literæ, Brutum requirentes, abeſſe, ultra nec vivere quiritantes.

Sedet illa nonnullis Principum ac graviſſimis, adeoque & longo rerum urſu verſatiſſimis ſententia, non curari quidquid id ſit infamantium chartarum (*paſquinatas* Itali vocant) debere; ſatis eſſe ſi deſpiciatur; agnita videri omnia quibus iraſcare, quando & inſuper habita contemtaque exoleſcant, ſpatio temporis quam breviſſimo evanitura; quæ eadem acrem ſui perpetemque memoriam ſint relictura, ſi quà publicari vetita, incurrant in meritum pœnæ, quando & punitis ingeniis authoritas gliſcit, & quam

quam multis in exitium alicuius conjuratis, quæ eum exitio destinent, pueris vel tacentibus multorum quidquid est silicum jumentorumque sit ebuccinaturum. At suum diversæ ab hac opinione sententiæ; quando quidem in illa mihi satis penetrare videtur, in quæ debeat. Dicatur, sodes, quorsim hæc scediasmata statuis affixa, quorsum toto tribunali sparsa? Eruendum quis affigendi fuerit ista, quis spargendi finis. Scribuntur in illis famosa carmina quorum collutuentam famam desideres: Nihil hic tale vel per somnium. Altius est obductiusque sceleris hujus venenum. Quod tamen quotusquisque primo obtutu habeat pro illicito? Non vult illorum author, publicator deprehendi, quo simul omnes inobservatus deprehendat. Exploratis illorum qui legunt mentibus, amentivè videlicet, ea habeant odio, num vel fors alieno peccent, aut odio privatim concepto quem sic petunt? consertos ne habeant ullos ac nullos? paucosné an plures? Non agunt hoc, ut iras sibi conceptas ista via expectorent ubi evomuerint, vestigant, rimantur, quid laturi sint operæ pretium, si quæ in illum, publice sic proscissum designaverint, designatum perfecerint. Ut ad plebem cæterosque quorum hic interesse possit, oculos verto, sunt hæc mihi quidem carmina, idem quod ventorum summis in turribus indices versatiles bracteolæ: non minus omnibus ubique præsto sunt, nec animorum motus tam explorare, quàm muto hoc mini-

exploratos designant, illis interim qui ista postibus affixere statuisve, aut aliàs in publico ut extarent fecere', gnaviter ac non minus indeprehensim observantibus, quousqne aliorum odia in vindictam excurrant, professane numquid sint an tacita, stentve sepultos intra gemitus, etjam indignari metuentia, at vero etiam in necem, ferrum, flammasque, per extrema quæque ausura prorumpere. Non alius ista omnia explorandi magis dexter modus. Quam vero id infrunitissimæ sit audaciæ, talisque omnino, ut destabiliorem nec ipsæ orci fauces eructaverint, pro teste sit illa recti constanter tenax, atque hactenus immota, ac diæ proxima Marci Bruti mens; in cujus sacrarium hæc ubi se penetravere loco mota, sic excussa, ut nec recti, nec sui potens ultra perstiterit. *Brute dormis? Brute non es Brutus? Brute ubi nam es?* quibuscunque Circæis herbis ac maleficiis illam fascinarunt animi vim, quam nihil turbare, loco movere, nedum expugnare, de gradu dejicere posse credi potuisset. Hæc qui scribo, majorem in modum etiam atque etiam peto, fraudi mihi ut ne sit vitiove vertatur indicasse ista & renudatis harum machinationum subterraneis cuniculis suorum ac principes periculorum commonuisse. Quæ ejus erat sagacitas, potuerat vel nullis aliis se prodentibus indiciis plus satis per se Cæsar judicare, hæc ista ad se subvertendum, quinimo de medio tollendum sufficere, sed ebrium dulci fortunâ,

quam ipse cum post vota veniret, male de se mereri dicere solebat, etiam sua privatim credulitas atque adulantium, & scæva omnia verbis speciosis ambientium turba subverterunt. Utique si fidem hæc nostra quam merentur invenire possent, ferrem me inter principes eorum; qui sibi Principum suorum salutem curæ cordique esse, seriò profitentur. Malus me tamen habet metus, hac in parte fidem mihi defuturam, quando & illi qui rationes in partem adversam adducere non poterunt, usque obgannient, & ut ne pro omni argumento nihil dicant, credi non debere occentabunt. At vos saltem Monarchæ liberas aures si non potestis arrigere, illas saltem à lethiferis desperatorum hominum morsibus his defendite, sciscite eos mordere, non loqui, nec alios in fines exitiale os recludere, quam ut intercipiant, intercepta male perdant, quæ ad vos pervenire nolint salubria consilia ac monita. Doceat vos hæc ipsa Cæsaris vita, doceat quæ vitam tanti herois mors violenta excepit, illarum utraque vos permoveant, ut quæ sic conservandis, tutandis vita ac salute vestris adferuntur, animo quam profundissime demittatis, demissa servetis. Id si facitis nunquam non agnoscetis, hæc à me non minus ex vero quam ex fide vobis ebuccinata.

Quæcunque à conjuratis cogitata, dicta, facta sunt, in id directa fuere, ut fieret omnibus Cæsar quam exosissi-

mus. Quo voti redderentur compotes nihil isto prius ipsis potuisve visum quam imperium ipsius prorogare, honores intendere, potentiam attollere, adgestis titulis, nominum honorumque, iis super additis insignibus, quæ quamcumque etiam maximorum in rep. sortem sic super egrederentur, ut nihil æquare ea posset, nedum ante ire. Quæque nec ipse petere posset, nec sibi ut concederentur honeste velle: Statuæ ipsius ac si & ipsa tyrannidem affectaret, imposita corona fuit, in caput viventis tot mucrones provocatum; atque ne superesset quibus vivens ornari posset, in marmora Cæsaream effigiem exhibentia congeri ornamenta placuit. Subscriptum statuis *Cæsari Regi*, quo populo persuaderent, sordere jam nunc ipsi dictatoriam, cum nomine potestateq;, altiora eum spirare, absolute summis, nulli obnoxiis, parem, superiorem juxta non agniturus non decessura. Scilicet hi illi malefaustæ ambitionis maleferiati architecti, coronam ei plectendam non alia fine censuere, quam ut esset quam descerptam sibi disruptamque, populo calcandam darent: honores excogitandos, ut finem honoribus illius facerent, ut vitæ: vota pro illius salute facienda, sed quæ diris devoverent: nec quid per cumulatissimos applausus adnitendum, quam ut feralia in ipsum odia concitarentur. Vaniloquus videri possim qui hæc ad principes; ab ipsis hausta principibus Patria. Gnarus hæc in crimen venire nec posse. Fungor

ſpeculi vice, quod ſemetipſum ſibi repreſentare cum nequeat, aliis quæ ſpectent exhibet. Hic vultus ſui nævos, maculas qui non videt, quales ſint, illo conſulto animadvertit. Miſeram vero magnatum ſortem, hæc ſi non admittant, miſeriorem ſi tranſmittant ſine mali alicujus ſenſu: Divinè ante nos Cous Hippocrates, quibus ægre eſt, nec dolor, iis mens laborat. Nunquam læduntur gravius, quam cum illi ipſi qui lædunt avertunt ab ipſis mali ſenſum. Uno membrorum male affecto, cœtera ut afficiantur, pariter doleant humanum eſt. Eſt ſubditis rex quod nobis caput, ſunt regi ſubditi quod membra corpori. Cum in triſtes querimonias ſubditi ſe laxant, Regi dolet. Apoplexiâ cerebrum ferienti, manus deficiunt, titubant pedes. In cerebrum ſequior ſi caſus inciderit, ſi vocem intercluſerit, funguntur vocis officio, vel brachia quæ valent emoliuntur. Ex guttâ in cor deciduâ, malum caducum, cujus preſentiſſimum ſignum violentus ille impetus, quo torrentis inſtar rapidiſſimi, per omnia membra fertur, deſævit. Quæ malum inſania ſit, ſic affectis non ſuccurrere! circumſtant tamen obſeſſiuſque tenent veternoſi lethargici, (Conſiliarios miniſtros deſigno) inſuper habendas querimonias tales, non admittendas, intra verba & voces ſtare, nihil clari auſuras accinunt, cum verius ſit eas non diſſimulari, repræſentari, quæ ſecum triſtia, quæ inominata ferre, quæ in regem regnumque mala attrahere quando-
que

que possint, doceri: ut sit tempestivæ medelæ suus Corus. Acutus dolor est quem vehementer sentit. At gravior hic quibusque etiam acutissimis doloribus non dolenti ipsa est indolentia. Illum quidem tormenta lancinant ut huic etiam nec ipsa quoq; vita vitalis est. Bustium est sibi ipsi. Visitur hic imposita statuæ corona, quo caput ei demetatur viventi, cui corona destinata credebatur: ea utique sic statuæ imposita, impulsiva comprimis causa fuit Cæsarem de vita deturbandi. Statuæ Nebucadnesaris montis de culmine provolutum saxum pedes elisit, totum prostravit. Est ô reges quod à summo capitis vertice ad ima usque pedum innumeris expositis periculis utraque hoc vos statuarum edoceat. Adgesti supra modum, ac quos nec sors vestra capiat honores, vertiginosum vobis caput reddiderunt, quod vos estis, commissis vobis populis, pedes etiam levis ictus subvertit, sunt autem vobis subditi quod pedes. Omni vobis cura providendum, tam ne quæ modum sic excessere in caput vestrum ruant, suaque mole pessumdent; quam ut ne levissimus quidem ictus subditorum etiam minimos & vel abjectissimæ conditionis ac sortis convulneret.

TEX-

TEXTUS.

Cassio amicorum animos in Cæsarem pertentanti, omnes ea conditione assensi sunt, si Brutus ducem se præberet. Non enim manibus, non audacia hoc facinus indigere, sed gloria viri, qualis Brutus sit, qui autor sua præsentia confirmet, jure id factum esse: alioquin & in eo perpetrando facinore sibi minus animi, & re confecta suspectos fore, quod ita sint homines existimaturi, nunquam Brutum societatem hujus facinoris si ab honesta caussa esset profectum recusaturum fuisse. Hæc secum expendens Cassius, prior Brutum post illam contentionem accessit, cumque reditum in gratiam, & renovata amicitia esset. interrogavit, essetue Kalendis Martiis in Senatum venturus: audiisse enim se, ea die de regno Cæsari deferendo ejus amicos relaturos. Bruto se venturum negante. Quid ergo, inquit, si nos vocent: Tum Brutus, meum jam erit non silere, verum libertatem tueri ac pro ea vitam profundere His excitatus Cassius: Quis vero, Brute, ait, Romanorum te pro libertate mori sustinebit? An te ipsum ignoras? an à textoribus & cauponibus, non à primis & potentissimis civibus inscribi tribunal tuum credis? ab aliis Prætoribus largitiones, spectacula & gladiationes à te velut paternum debitum exigunt tyrannidis eversionem, parati quod vis pro te subire, si te eis qualem & postulant & optant præbueris. Hæc fatus Brutum amplexus est & salutavit, post eum digressum se ad amicos converterunt.

EXCURSUS.

Nulla tyrannis datur quæ non de facili eradicetur, si Conjuratorum unus tyrannidem oderit quâ tyrannidem, alter, quia omnis ei tyrannidis est invisa ratio. Illa demum est omnibus numeris absolutissima conjuratio, cum convenere qui tyrannidem quique tyrannum ex æquo detestentur. Agitator ille est; hic præsunt ordinem agendi, unus quid alter velit, quò tendat intelligit. Hi duo ad illum modum conspirantes Cæsarem de medio sustulerunt; tanto valentiores, quod ipsos Cæsar inter se divisos divulsosque ipsemet conjunxerat, quò in se irruerent. Factum conjurationis exordium à Cassio, quem in tyrannos odium ab ipsa natura hausisse memoravimus, cum & puer quæ hauserat expresserit, sibi puero hausta expressa vir tandem factus arripuerit (si modo quæ ex animo nunquam posueris, arrepta recte dicantur.) Postquam convenisse videt quos cœptis suis idoneos putarat, ipse hunc ferme in modum locutus fuisse perhibetur.

ORATIO CASSII.

Si per ambitionis impotentiam Cæsar persuaderi sibi passus est, ut patriæ Tyrannus, publicæ libertatis carcer esse vellet, quin & nos, Cives, ratio justitiaque permoveant,

veant, ut quam debemns communi patriæ fidem impendamus. Adeone aversos à nobis superos putamus, ut qui illius tam impense faverunt latrociniis, tam sanctæ restaurationi nostræ sint defuturi? Nullam illorum esse providentiam dixerimus, culpemus, hic si vel dubitasse mentes subierit. Cum porro non diuturnior sit illius vita qui malus esse novit, quam sit ejus, qui se præstare virum bonum, singulæ nos dies, horæ, momenta, criminis arguent, quod vivere illum diutius passi simus. Quid timidi per metum cessamus? Numquid ergo huic pesti occurri Respublica non desiderat? Duo (nec diffiteor) circumstant, urgent nos pericula, & quidem satis magna. Cæterum ut infami nos saltem eximamus discrimini, nostrum est: vertitur in illo apex libertatis: Longè pejus vivere nos, qui hoc nomine nec digni simus qui vivamus, quod nesciamus mori. Habet adnexa sibi pericula, quidquid ex arduo petendum est. Majoris interim discriminis res est, tyranno mortem intentare velle qnam inferre. Qui infert, omnes quod percupiant absolvit. Quid viro forti acerbius, quam alium ab animo vultum gestitare: quam tyranno, quem per se detesteris, per adulationes adrepere? Habet perspectum tyrannns, veros honores se nunquam ab illis consecuturum, qui animorum suorum sensa dissimulationibus obvolvunt: citius attamen in illos desæviat, qnos suspectos habet, quam quos pnblicæ jam

designarunt querelæ, non alios esse posse. Quod maligne tegi persuasum habet, illo ipso quod videt, eum tacitò pejus urit, quantò plus est periculi ab hoste quem nescius quam qui in propatulo hostem se apertum fert. Arma illius timetis? mihi credite simul atque ipse esse desierit, erunt illa nostra. Defunctum præter tumulum nihil comitatur. At enim HOC AGITE Nihil hic morâ damnosius: Si quid differimus, colliget se in vires suas, regnum firmabit, intendet potentiam, amicos, instrumenta tyrannidis, quibuscumq; modis quam poterit plurimos adjunget. Nullo privatim in Cæsarem odio feror, tam modo mihi quæ jam nunc fecit displicent, quam quæ porro facturum appareat. Auditis ut in nullam ultionem quæ loquor exeant, nihil quam meum pro libertate Patriæ zelum spirent. Vocat creberrimis vos incitamentis Populus Romanus: ipsum an cœlum prorumpentibus suspiriis aures vestra converberant. Meas rationes probe capitis. Honorem vestrum & consilium adhibete, tum quoque, & jam atque etiam perpendite, quæ ex jam dictis vos tangunt, vos attinet. Ea mihi in votis fiducia, ut pro certo sciscam, apud vos valitura.

Avidis animis auribusque virus hoc inbibere qui convenerant: uno omnes ore respondentes sibi nec manus neque animos tanto facinori perpetrando defuturos: geminabant modo abesse Brutum, cujus præclara virtus &

præ

præ cæteris excellens nomen, ad hæc fœlici ſucceſſu terminanda quamplurimum eſſent profutura; qui ſiquid in partes ſecum venire velit, nulla ſe driſcrimina refugere. Credibile eſt viros fuiſſe prudentes & circum ſpectos, qui tanto ſe parantes facinori, quantum in uno ſibi homine momenti præſidiique eſſe judicarent, quanquam nec ignorarent, eſſe eum in flagranti apud Cæſarem gratia. Ita fermè ſemper cibis quibus inſuevimus miſcentur toxica, veſtibuſve quas frequentius induimus implicantur.

Ut vidit Caſſius omne in Bruto momentum eſſe, abit compellaturus affinem affinis: facta prius animorum reconciliatione poſt ſopitas in quas inter ſe exercuerant ſimultates caufam cur prior adierit, ſalutavit ſilentio tegens numquid ad Kalendas Martias in ſenatum venturus ſit perquirit, addito Cæſaris amicos ad ſenatum referre iſto die decreviſſe de regno Cæſari deferendo. Illo ad tam inexpectata, tam adverſa libertati Romanæ indignabundo bilem Bruto non leviter commoverat. Cœterum, ut magnaminus erat, juxtaque providus, nec in ſe ultro pericula provocare vellet non neceſſaria, neque ſe non offerre vocantibus nollet, ſi vitari omnino aut exui poſſent, reſpondit, decreviſſe ſe iſto die Senatu abſtinere. At quærente Caſſio ſi à ſenatu requireretur venire juſſus quid ageret: tum demum cordatè, ut omnia, Brutus venturum ſe repoſuit, & patriæ pro libertate ipſam quo-

que vitum positurum. Liberum esse Senatori quandoque senatu abstinere, id si non liceat, agendum id ei, quod sit Senatoris, quod vocati quocumque modo constare sibi eorum quæ facturus sit justitiam, quæ tota quoque sit à partibus libertatis patriæ. Si moriendum sit per vim aut violentum, moriendum esse assertâ, quæ à Senatore requiratur constantiâ. Quibus demum lætatus Cassius, rem ei totam renudat, laudatum macte esse jubet, amplexumque dimittit.

Illud notandum quæcumque nunquam Cæsari infesta obvenerunt præsertim per conjurationes, non ad aliam magis causam referri posse aut debere, quam quod poteutiam suam minis intenderit. Impositam statuæ illius coronam abstulit Populus. Bruto Cassioque id ipsum maximum incentivum fuit, cur adversus illum conspirarent.

TEXTUS.

Erat quidam C. Ligarius, unus ex ex amicis Pompeanis, quem & eo nomine Cæsar absolverat. Is non gratus ob eam veniam, sed dominationi ob quam in discrimen venerat infensus Cæsari, eratque summus Bruti familiaris. Ad hunc tum ægrotantem Brutus ingressus, ô Ligari, inquit, quid alieno tempore ægrotas? tum is in cubitum se continuo elevans, dextera ejus apprehensa. Ego vero, Brute, ait, si quid te dignum animo concipis valeo. Inde animis

notorum

notorum hominum quibus fidebant exploratis, rem cum iis communicant: asciscuntque sibi de familiaribus non modo delectos, sed & si quos alios animo intrepido mortisque contemtores esse sciebant. Quæ causa fuit ut Ciceronem, qui fidei benevolentiæq; causa primas apud eos tenebat, institutum suum celarent, ne is qui timiditati sibi innatæ per ætatem jam senilem etiam in cavendo accurationem adjunxerat, singulorum rationes ut quam tutissima essent subducendo vigorem ipsorum conatus celeritatem requirentis debilitaret. Sic de amicis suis Brutus Statilium quoque Epicuræum & Favonium Catonis sectatorem præteriit, quod cum per ambages inter commentandum de rebus Philosophicis de ea re animos eorum tentasset. Favonius injusto unius principatu bellum intestinum pejus esse, Statilius sapientis non esse propter malos & stultos in periculum se & turbas dare responderat. Labeo tum interfuerat, & contra utrumque dixerat: huic postea, cum se pro quæstione dubia & perplexa habere simulans tunc obticuisset, consilium suum Brutus detexit, promptumque in coeunda facinoris societate eum habuit. Visum deinde Bruto etiam Albinum adjungere, virum neque strenuum sane neque audacem, sed gladiatorum manu quos ad exhibendos Romanis ludos alebat munitum, & cui fidem Cæsar haberet. Is Cassio ac Labeoni rem aperientibus cum nihil respondisset, cum Bruto seorsim collucutus ut hunc ducem facinoris fore audivit, promptam suam operam detulit. Reliquorum etiam plurimos & præstantissimos Bruti authoritas ad eam conspirationem illexit. Tanta autem fide & taciturnitate rem penes se illi omnes continuerant

runt, atque occultarunt, quanquam neque juramento ſe mutuo, neque lata acceptaque cum ſacrorum obteſtatione fide obſtrinxiſſent, ut quanquam auguriis, oſtentis hoſtiarumque prodigiis eorum inſtitutum judicaretur, fidem tamen nemo habuerit.

EXCURSUS.

Quotiens concitatus adverſus principem populus intumeſcere aut animis ſævire occœptat, viri boni ſapienteſque inter querimonias populi, & circumfuſos inter delatores ac clancularios eorum quæ geruntur obſervatores, non leviter laborant: vixque adeo eſt, ut tuto quippiam vel audire poſſint vel loqui. Sibi enim timenti, qui tacet, quique loquitur, unum eundemque ad modum ſuſpectus eſt. Si quid ſileat, altiora agitare creditur, ſi qua loquatur, male preſſos dolores ultra nón capere. Imo nec ille quidem tutus eſt, qui cognitis ſibi delatoribus, propalam facta per vim & violentiam etiam laudat. Tales ſibi dari delatoribus in voto eſt, ut ſint quos ingenii penetrantis in omnia acumine ſuperaſſe ſe pervincant: nihil adverſus ipſos quidquid circumſpectionis adhibuerint iſti, valere potuiſſe. Ergo nec illis quibus ſe manciparunt quid ex vero referunt, ſed omnino tale quod ſit, ipſi quale referri poſſe voluerint: idque dum faciunt, majorem per iſta mendacia fidem ſibi haberi, plus deferri, plus committi debere perſuaſum volunt. Male quotienſcumque de

Principe

Principe loquuntur, & accuſatores ſe præſtant, & ſuſurrones: cum bene, id accurant, ut nuſquam ſibi male ſit. Agnoſcunt tantò ſe majores, tantò acceptiores, quantò plures deferunt, quantò plures ipſi tyranno male peſſime velle perſuadeant, ſtatuunt habendos ſe pro veſidibus, ſi quà ceſſent, pro inutilibus, ſi nullis ultra per delationes præbeant cauſam calamitatis. Tum regnant, cum non alia volventes incumbunt in quæq; peſſima, niſi quid optimos aliquâ ſuppreſſerint, oppreſſuri ſemetipſos. Sibimetipſis triſte ſupplicĩũ debituri. Quintus Ligarius, has quo ſecurus evitaret ſymplegades, morbum finxerat, ſic ſuæ conſulturus vitæ, quod videri volebat, ſic ſecuritati. Nec aberant ulla Bruto quæ prudentiam præ ſe ferrent, cum res poſceret, quæque eandem tegerent: cæterum ipſe quoque etiam nullo incruſtamento vafer erat. Ipſe illico ficto ſub hoc morbo, ſtrategematis quid ſibi deprehendere viſus, Ligarium viſit, tandemque, Quid, inquit, Ligari, tam alieno tempore ægrotas? ne quidem verbo ſuper morbo, morbi genere, aut cauſa, facto. Periculoſa cũ ſunt tempora & turbatæ res, directe quæ ſcire quis deſideret percunctari fugit. In vicem, non ut medico, non ut ſuper morbo quærenti Ligarius reſpondet, ſed erectus in cubitum, Valeo inquit, Brute, ſi quid te dignum animo concipis. Hæc aut his ſimilia tunc loquutum fuiſſe Brutum crediderim.

ORATIO BRUTI.

Hactenus, Q. Ligari, Brutum nomine tenus compellari audis. Majus quid quam ſolum Bruti nomen res poſcunt. Reſuſcitandus mihi Junius Brutus quandoquidem Superbum Cæſar reſuſcitavit. Commoda quæ reſpub. per illius mortem conſequutura eſt, jam dudum animo meo emoverunt omnia quæ mors mea mihi poſſit comminari. Longè accidi malim pauxillum quod mihi reſtat vitæ, quam ut exactam hactenus quippiam denormet. Pro poſteris me ferre, poſteros prævenire, poſteros erudire certum mihi. Diſcant, me præeunte, illos peſſumdare, qui per ſuperbiam, qui & quales eſſe debeant dedidicerunt Brevis, quin imo nulla eorum eſt vita, qui præteritorum obliti, male perdunt præſentia, futurorum quà ſecuri quà deſpectores. Is mihi vivit, qui cum in præſentia ſe defigit præteritorum memor, etiam quæ accidere deinceps poſſint, ſibi repræſentat. Præſentibus qui præterita applicat, jam nunc omne id aſſecutus eſt, quod aut ex illis hauriri, aut per virtutem conferri poſſet, dum venturis per providentiam ſuam antecapiendis accingitur. Huc mea, Q. Ligari, ſe vota provehunt. Temporum ſum memor, quibus ultoris Bruti vindici ferro repreſſa Tarquinii Regis ſuperbia in ulteriora ſe proferret inhibita eſt. Agnoſco me Patriæ debendi reum, placet expungi nomen ut illud

ubi

ubi expunxerim, ei in futurum quoque esse quam optime possit. Hactenus almam habemus matrem Romam. Quoties quisque nostrum novit, numquid & se Roma pro filio agnoscat? Libertatem bestiis adimimus: eâ privari qui se viri patiuntur, quid! nisi quod etiam infra bestias imbelles se demittant! Qui vitam ut proroget, servitutem patitur, quam ille crasse ignorat, servos nec caput quidem habere. Occidi quisquis timet, suo se timori præbet occidendum. Honestum putamus per morbum vita exire: at, si qui patriam aufert morbus idem nos ferat, alione id loco? Et morbo cadimus, & pro patria. Agit inhonoratus, sic ut nec vivere dici possit, quisquis mortem subire non audet, ut honorem tueatur. Almæ nostræ Romæ citius non ero civis, quam non sim filius. Improsperi campis in æmathiis successus tam non me modo non deterrent, ut acrius quoque inflamment. Justum piumque erat Pompei in Cæsarem bellum: noluere superi tam bonam causam arbitrio cœcæ sortis dicidi: rationi illam supremæ reservarunt, nec minus & Virtuti. Quidquid ad Pharsalum sanguinis datum haustumque est, nobis quid agendum sit præmonstrat. Ibi feci quod potui, hic facturus id quod debeo. Si quà mihi Dii non aderunt, adero ego illis. Impediri hactenus non potuit quo minus forent fortunata arma Cæsaris, esse porro talia ut desinant, ego dabo Si quos sequi me juvat, scient per illos posteri, plures quo-

que extitisse nominis Romani gloria dignos,si neminem; fatebuntur iidem eum fuisse, qui se præstitent virum bonum, bonum civem. Quod unus cæteros bonitate vincas omnino pulchrum; habet interim quippiam in se, quod sit illiberale. Nihil in me tale deprehendi velim qui & patriæ meæ volo quam optime,& perspectissimam habeo civium nostrorum virtutem. Nec exosa mihi virtus Cæsaris: quæ designavit detestor. Effera ejus per subrutos, correptos magistratus Ambitio,in eam pervasit vesaniam, ut imperium decerni perpetuum affectet. Incubat iis, quæ ei decernenda duxit Patrum error, calcatis saluberimis Marcelli monitis, & raptis ex Saturni thesauris, ipsa Româ per sacrilegium est locupletior. Victorem ad Pharsalum dira eadem forrunæ lubido voluit,quæ per infamem quoq; proditionem truncum Pompei caput ei detulit. Nihil habet præcipui, quod non debeatur sceleri. Nec suum quid ullo jure dixerit, in quo non aut ipsius, aut alterius flagitium deprehendas. Recipitur per legitimos tramites, quidquid furi eripitur. Nullam ego, hæc dum Quinte Ligari ago, molior conspirationem: Tribunal erigo, amicos mecum conspirare ut conjuratos nolim, qui id curo, ut sanctissimi judices hujus de causæ justitia decernere ne grave putent. Nulli ira judicum illuminat, citius absumit. Iniqua patienter tolerando, boni qui sunt, improbos ad audendum pejora proritant. Aut omnino hic nihil, aut quod inter justam iram

ac

ac patientiam medium sit tenendum est: danda opera tam, ut quæ patientiam ira sibi sociavit pro Virtute haberi possit, quam ut quæ irasci sustinuit patientia, in vitio ne sit. Propudiosi illius asseclæ ad Kalendas Martias pleno senatu in verba Cæsaris jurare decreverunt. Occupanda, solo affligenda, pessumdanda tanta impietas: nequaquam committendum, ut Regium nomen ipso Majestatis jubare populum percellat, plebem ad se suis trahat illiciis: optimorum, qui alia omnia velint ardorem præfocet. Perspectum habeo jam nunc modos, quibus se improbus iste obsessit. Eorum quos sibi fidissimos retur, ingens pone sequentium globus stipabit undique circumcinctum. Constat is potissimum ex illis, quibus nulla salus salvâ Republicâ: his una, se suppliciis quæ promeriti sint subducendi & spes & ratio in Cæsare. Ipsi tyrannidem assecuto, sacrilegi, delatores, mortales famæ ac pudoris detriti, quos lingua perjurio alit, manus civili sanguine sunt spurcæ, sancti nihil, aut intemerati: omnes denique quos egestas & flagitiorum conscientia in deterrima atque extrema protrudit latus deinceps munient. Addent se illi, primæ quoque admissionis futuri, qui per sycophantias suas ea communiscentur in dies spargentque, quibus dementatus populus nunquam se recolligere aut ad ullam frugem retroverti possit. At quid cessamus? quid optimum quod nobis est institutum, per segnes ignavasque moras male perdimus? Si quid, quo adusque diadema capiti

circumpositum habeat præstolamur, donis, honoribus, congrariis latrocinabitur. Judiciis convictos, aut pro factis judicium timentes sibi ministros leget, omnia virtutum præmia nefarii invadent, tenebunt sceleribus ipsorum per ingestos honores oblituratis, inducta per clarissimas dignitates infamia. Quod miserrimum, nec pœnis quidem locus futurus est, nisi in eos qui ferendæ pœnæ capaces videbuntur. Latè regnabit, (facere est id quod velis est regem esse) quicunque pœnarum quas exiit securus, omnia quæ volet sibi licita persuadebit; & quæ scelerata ei cumque lubido suggessit, protenus esse volet *infecta*. Is rerum ordo vertetur. Hæc nos, ô Ligari, ut properemus jubent. Omnia non celeriter minus quam fortiter pulcherrimum ut patremus facinus efflagitant. Me quod attinet, ad nullum te discrimen voco: ad gloriam te vocari agnoscis. Tua quæ sit virtus, teneo: nec ut respondeas urgeo. Ipsa illa mihi quid non possis omnino non facere, quid faciundum sciscas jam dudum indicavit.

Ad hæc ille. Ita est, Marce Brute, quæ adduxisti, promptum pro omni responso obsequium volunt: operam pro verbis. Non sunt hæc operosè, cum vel per se loquantur, dicenda. Ac nec ipse mihi quid dixisse videris Agendum paucissimis, cum paucula etiam verba crimen non effugiunt, & neque valeant in excusationem. Quantum animorum fœdus sit, manus quam optimè declarant: quas in

omnes

omnes occasiones pronas & nusquam non præsto futuras; prudens fidumque silentium etiam victores fecit eorum omnium quæ adferre potuit volvendus dies, talibus datum ut ipsos commodi temporis articulos ipsæ circumferant. Qui nunc improbi Cæsari latera cingunt, eo interempto, actutum diffugient, bonarum se partium volent: saltem videri. Habent hoc unum scelera, se ipso pejus, quod ad illa per se ipsa geminanda, intendenda, spissanda, opus sit sceleratorum ministerio ac manibus. Absque hoc seu tuendi, conservandi invalida. Omittenda sunt in tam arduis quæ adversatura judicas. Nullus consiliis locus cum aut improbitati aut prudentiæ permittenda sunt omnia. Ea nobis esto pro norma. Quæ profligata, desperata sunt pessimorum hominum flagitia: per ea ipsa quibus valuere scelera se dissolvunt. Fortiter facere si me vis, si jubes, missis verbis, da agendo spectari.

Et sic quidem obfirmatis animis finis dicendi fuit. Quam in adsciscendis sibi sociis, eandem in non allegendis prudentiam Marcus Brutus adhibuit. Intimus ei Cicero fidei exploratissimæ Senator, sed cui cordatos animos in senium vergentes anni non sinerent. Ipse à natura ad cautiora propensus, largâ quidem fundi copiâ, eloquio detonare solitus, nihil in casum dari dum vellet, mucronem animorum nihil minus quam talibus indigentium retusurus.

rus

rus timebatur. Tum quoq; de illius in ipſo ſilentio conſtantia non tanta promittere, quam res exigeret Brutus audebat. Inertia illa & timida conſilia quæ id genus mortales qui vocem qua una valent exercent, cauſas vocant, nihil ad inſtitutum, non quo jure, ſed quid agendum inſtaret ſciri Brutus volebat, certus opere fœliciter perfecto jus æquum, bonum, omnia à partibus ſuis futura. Nolebat diſquiri is ne eſſet Cæſar, quem jus faſve eſſet occidi, ſed cum occiſſus eſſet, etiam jure cœſum ab omnibus dici. Statilium quoque Epicuræum & Favonium præteriit, cum quod animi non ſatis obfirmati deprehenderet. Ajebat Favonius iniquo unius principatu bellum civile deterius eſſe. Statilius, propter malos improboſque & ſtultos, in turbas ſeſe dare & diſcrimina, defendebat non eſſe ſapientis. Peccabat hic in eo, quod non veris nominibus res voraret, cui Fides in patriam diſcriminis nomine veniret. Homines patriæ amantiſſimi, cordatiſſimæ devotionis, laudatiſſimum explicantes zelum, mali dicebuntur & ſtulti.

Semper, inque omnibus rebus publicis invenire eſt quoddam mortalium genus, quod per veternoſam & non niſi teſtudineo ſe gradu ferentem quietem, nomen politicorum aucupatur. De quibus, quod de recutitis poëta, *Rarus ſermo viris & ſumma lubido tacendi.* Hypochondriacos dixeris iſtos, magnam ſibi authoritatem per altam,

aliiſque

aliiſque moroſam melancholiam circumdare annixos, qui tamen cum ad rationes earumque momenta eſt veniendum, infantiam ſtatim produnt. Cum ſoli & ſine contradictore loquuntur ſic ſe componunt, ac ſi tantam omnium indepti eſſent experientiam, ut nata cum ipſis itidem interitura ſit ſapientia. Ab illa parte unde plurimum commodi ſperari poſſe videatur & plus tranquillitatis affulgere, aſſiduo ſtant. Da propalam improbos, & quod nihil pro ſalute audeant quos cives bonos vocare non poſſit, pacificos appellabunt, ſpecioſo pacis amore, quidquid in animis abjecti habent ac vilis obtecturi. Tam in publicum ſunt illi noxii, ut omnes poſt ſe ponant in publicum noxios, iis modo à quibus vincantur exceptis, qui ipſorum ineptiis ſtultam credulitatem accommodant. Horum in claſſe Bruto Statilius Favoniuſque; à quibus ille diſſentiendi certus nec hilum repoſuit, ne quidem Labeoni acerrimo eorundem contradictori accedens, ſciſcenſque tales præteriri rectius, quam in præclari alicujus facinoris partem aut conſcientiam aſſumi. Idem conſpirationem hanc nulla jurisjurandi religione muniendā judicavit; non cœsâ porcâ aliove ullo ſacrificio. Quorſum enim iſta judicium de facili factura, quovis modo ſuſpicionem motura, monſtri quid ali? præbere, in quod ſuſpicionibus ſic concitati, curioſiores, penitius inquirant? Accedit, quod ipſa illa juramenta, ſacrificia, aut aliàs adhibitæ confœderatio-

N nibus

nibus cerimoniæ, tantum abest ut tutiores illas reddant aut firmiores, ut diffidentiam in coeuntibus in fœdera redarguant, alterum alteri non usque fidere, quin imo sibi timere pervincant. Qui requirit, de eorum se fide dubitare prodit, à quibus requirit. Expeditioris executionis sunt, quæ quam minimis obvolvuntur circumflexibus. Ita fieri debere docuit nos hoc suo facto M. Brutus, non passus evulgari id quod decreverant, omnia sic admoderatus est ut attentissime suppressa, nulli propalescerent. Cujus & fructum tulit, qui Astrologos, Aruspices, Augures, Cæsari mortē vel quam disertissime prædenunciantes ad unum omnes elusit, fidem ademit, quam si mens non læva fuisset, eis habere debere Cæsarem judicassent salutis suæ non omnino incuriosi. At deprehendere in talibus est divina judicia, quorum latentes causas, progressum, mentium nostrarum angustiæ non capiunt, nec ut capiant assequuntur. Adde quod nisi improbi mortales forent, subinde per incrudelitatem temerarii, non tam facile ipsos divina pœna aut nemesis deprehenderet. Hinc fit ut talibus admovendi suppliciis, inque reprobos sensus dati suæ se superbiæ permittant, insuper habito eorum mediorum ac remediorum usu, per quæ nocitura vel in totum evitare, vel pro parte declinare potuissent.

TEX-

TEXTUS.

Enimvero Brutus, ut qui civium magnitudine animi, nobilitate ac virtute primis ducem se & & auctorem facinoris præbuisset, periculumque animo totum cerneret, foris conatus animi sui curas dissimulare, & pacata ac tranquilla omnia præ se ferre, domi & noctu alius erat, cum modò invito somnis solicitudinem excutientibus, modò altioribus defixo cogitationibus, diutiusque immorante uxore, una cubantem non falleret, plenum eum solicitæ perturbationis esse, & volvere secum grave aliquod ac perplexum consilium. Erat ea Portia, filia, uti diximus, Catonis, qui Bruti fuit avunculus, quam ille non virginem duxerat, sed viduam ætate integra, quæ ex priore marito filiolum habebat Bibulum nomine, cujus extat de dictis & factis Bruti exiguus libellus. Hæc, ut erat sapientiæ juxta ac viri studiosa, magnoque & prudenti animo prædita, non aggressa prius arcanum mariti expiscari, quam se ipsam explorasset, scalpello, quo ungues solet præcidere tonsor, arrepto, omnibus pedissequis cubiculo ejectis, vulnus femori profundum inflixit, ita ut sanguinis multum profluxerit; ipsamque paulo post acres dolores horroresque febriles corriperent. Bruto anxio, & ægre casum istum ferente, ita eum cum maxime vigeret dolor, allocuta est. Ego, Brute, Catonis filia, tibi nuptum data sum, non ut pellicis in morem lecti tantum & mensæ, sed cùm bonorum, tum adversorum omnium tecum essem particeps. Quod ad te attinet, plane reprehendi in hoc nostro conjugio nihil potest. Ego

autem quà re tibi animum meum demonstrabo, quamve referam gratiam, si non in occulta perturbatione & solitudine fidelitatem requirente perferenda sociam me tibi addidero. Non sum nescia naturam muliebrem pro imbecilla haberi, & quæ arcano reticendo non sit. Sed profectò, Brute, facit aliquid ad mores honesta educatio, & bonorum consuetudo. Mihi hoc accessit, quod & Catonis sum filia, & uxor Bruti, quibus cum antea minus fiderem, nunc etiam me esse insuperabilem à dolore cognovi. Hæc locuta, vulnus viro ostendit, & factum virtutis periculum narrat. At Brutus attonitus, manus intendens, Deos comprecatus est darent sibi ut re præclare gesta dignus esse vir Porcia demonstraretur: tum mulierem refecit.

EXCURSUS.

Quæcunque à primævi status conditione res degenerant, suique egrediuntur naturam, semper ut ferme sunt prodigiosæ & admirari dignæ, qua se mutant in potiora; sic quoque mutatione factâ in deterius evadunt abjectissimæ. Quid propudiosius viro, non nisi fœminam factis suis exprimente, & (loqui sic liceat) evirato? Quæ mulierum præstitere animos viriles, quæ laudarentur omnibus sæculis habitæ sunt dignissimæ. Quanto est ignominiosius à præstantiori ad minus bonum deflectere, tanto versa vice gloriosius, à minus bonis promovere se ad præstantiora. Porciam, Marci Bruti consortem, tam mul-

multæ præclaræ actiones reddunt illustrem, ut ipsa potius Cato quæ diceretur digna fuerit, quam quæ filia Catonis; citius Brutus, quam censors Bruti. Ut plurimum videmus, illius quæ sunt sexus, esse dejectiores, amare illicias comitatis, curare formam, iis studere quæ placeant, & quibus adhibitis placere possint. Porcia animo nihil agitare solita præter labores, & curas, in quarum se partem venisse noverat, non minus rebus mariti sui commovebatur, quam suis. Tacita premebat indignatione quod se nec capacem judicarat Brutus, atque (ita videbatur) indignam cui ea quæ animo volveret renudaret. Tristis erat, quod affectum tristitia maritum cerneret, tum vero & pudebat, quod ad aspectum turbati aut per tristitiam dejectioris vultus quem maritus ei oggeret, id ipsum quod esset deprehenderet, in non altiora penetrandi potens; nullâ quippe, quæ causa indigna serenos vultus fœdaret, ei reclusâ, nullo eorum quæ ipsum agitarent patefacto: Ipsum hoc, quod se sociam tantus sibi maritus refugeret torquebat intensius. Timebat in moribus suis notatum ei quippiam, quod non esset tam grave aut constans quam id requireret quod ipsi tanta cura vellet latere: ac malle proinde ipsum sese seorsum habitæ nec minus prudenti tristitiæ petmittere, quam non citra suspicionem aut metum ab ipsa cum conjuge dividere. Sexum suum quoties respectaret, nihil marito in culpā quod

taret reperiebat, ut vero ipsa marito ostenderet, quod se ferret prosperorum atque adversorum non minus consortem, quam vitæ utrimque communis, id demum totis animi viribus connitebatur. Ante in se quid posset, quid in quæsitissimi doloris tormenta, sibi certa esse voluit, nec ante id maritum rogare posse, aut ab ipsa requirere, quam id haberet exploratissimum non revincendo documento, sibi quovis testimonio certior testis. Quod ab inflicto, quod dictum, sibi vulnere, plus quam muliebriter impetravit. Noluit ut aliqua inquirendi super quo doleret esset necessitas, quæ vel curiosi quid haberet, aut quod *inquirenti* marito non auderet non subducere; se vero, si quâ secreta res esset, nec rogandam ut celaret, nec ut ea quæ commissa sibi silentio fideli tegere non novisset, jure pro suspecta haberi; ut quæ media vel morte probaret, juxta se maritum celare posse mortem sibi imminere, & causam cur moreretur. Si tempora quibus id factum respicimus, nempe sub paganis & ethnicis, atq; ante illatam ab Evangelio lucem, doctissimus procul dubio fuit iste religiosissimusque vitæ contemtus. Porcia quò fidem Bruto faciat, morituram se potius, quam ut secretum revelet, irruit quasi morti, illam vadem constantiæ heroicæ præstitemque factura. Non vult ut ad ea Brutus attendat quæ ipsa forte promiserit, vult ut pari passu gradiantur quod sit mortua, quoque sit mortua secreti celandi capacissima.

Claras

Claras bello multas mulierum fuisse scimus, ac sibimet ob id ipsum triumphales quadrigas confecisse, multas istis sæculis, ac Gentes inter, per virtutes præclaras illustre nomen æternitati sacrasse; prosperâ nominis sui famâ ab interitu vindicatâ. Illarum tamen nulla quid ad Porciam: Noverat, ut quæ sequioris sexus esset, haberi se pro imbecilla posse ;sed & noverat, fidem forsan nec inventuro argumento, revincere, non esse semper vera quæ de suo sexu prædicarentur. Norat sic exhibere suo marito cùm se illius consortem, tùm & causam immensi luctus, nec non, & quovis exemplo majus exemplum constantiæ fideique: ad quarum aras ipsa se ut victimam mactaret. Si qua superesse contingeret, se infracto animo, & secundis dubiisque recto, eum indesinenter in omnes casus comitari velle, in cujus amplexibus recubaret. Brutus simulatque media jam in morte natantes ocellos attonitus aspexit, tum verò, quam, quantamque esset amissurus, animo remensus est; atque hic quoque semetipso major, ne superos quidem rogavit, ut animæ jam jam evasuræ manum injectam vellent, marito assertam superesse sinerent: tantum ut rite secundarent sibi pro Patriæ libertate quam pulcherrime destinata;quo & seræ exinde innotescere posteritati posset, Porciæ Catonis filiæ superfuisse M. Brutum, maritum tanta consorte non indignum.

Succur-

Succurrunt hæc notanti, illa apud Poetam Turni ad Juturnam *Et jam fata ſoror ſuperant, abſiſte morari.*

Quo pacto ſodes ultra Brutus ab abſolvendo quod deſtinaverat potuiſſet retro moveri, cum tam præſenti, tam domeſtico, intrinſeco, acri impelleretur prodigio? Is erat, ut vel tum ille ille Romani orbis domitor Cæſar, ut vilis, & non ſatis digna quæ in inferius Porciæ, Catonis Brutique manibus hoſtia procumberet, oculos ipſius ſubiret Cæſarem pulchra pro libertate ad mortem ſecum vocaturus, jam tum volebat eſſe de medio ſublatum, ut eſſet ſaltem vel quippiam, quod poſt tam crudos dolores ſentirent illius manes. Exagitabant omnia, at comprimis in extrema defecto ſpiritu ſubſidentis verba fortius ſe quam pro vulneris magnitudine attollentia.

Una eademque, Marce Brute, via ſanguinemque animamque Porciæ ſequi vides. Si quid tuorum mihi credidiſſes ſecretorum intra nos ſtetiſſet. Si mulieri niſi extinctæ credi nefas, abſolvit ſe tibi, conſors quondam tua dicta. Cui nec id ipſum credidiſti, non niſi mortuæ credi poſſe. Ea tibi potius conſors ut eſſem volui, quam eſſe merebar, quam hactenus quæ fui. Obtinui ut tumulo compoſita id eſſem, quod viventi non licuit. Duabus unicum nos hoc vulnus curis abſolvit. Te, quod ereptũ videas tuum quod habueras: me, quod moriar quæ id quod habere me jus atque æquum fuiſſet, non habuerim, aut

habi-

habitura sim. Juxta ignoro quid quantumque aut patiaris, aut bajules in te recœptum. Non aliam ob causam quæ me pati vides,& pati scisce. In longius si tuæ provehendæ sunt curæ, quæ ad mearum dierum finem pervenere, secum illam laturæ, longius quidem ob id vives, at non rectius, non melior me futurus, sed diuturnior. Oneri me tibi esse quod censeas, lubens condono. Tam te efflictim amo, ut imos quoque sub manes ille ad me sortis quam hactenus mihi invides sensus, sese sit penetraturus. Salutem meam Divos ne roga, longe tibi esto ad mihi succurrendum accursus. Intempestivus sit, unum optanti, ut quascumque medicorum manus, quæ & mortem dedit, meæ à me constantia removeat. Esto tibi ad gloriam pluris, habuisse consortem quæ viventi exciderit, quam quæ satisfuncto tibi sibique superesse valuerit. Nec ut vivere nec ut mori velis peto. Vivere si potes, supera, sin minus, etiam morere.

Ab his auditis Brutus, suas cum sanguine singultantis lachrymas confundens, omne quod tam masculæ virtuti debebatur cumulatim præstitit, totoque illi exposito negotio quod ultimum jure suo pascebat jam tum ut videbatur moribunda, ei non id quod debebatur persolvisse, sed & quantillas in gaudium vires affudisse visus est. Recolligere sese heroïna, agnito jam tandem meritam se, ut socia s cum marito suo curas haberet, quod vocis superesse,

O defe-

defectæ vires ſinebant, nec pro viribus Bruto dedit, tantum effata.

Nihil tibi Marce Brute mali: ſi cadis, ſtat patria. Tibi ſervatori vitam debet, morte tua vivens. Comitaberis conſortem conſors. Sin minus, amantem amans aſſequeris. Non ut Cæſari parcas Deos veneror, ſed ut, qua dabitur caveas tibi. Fero mecum ad manes quæ ſecreta haberi cupis. Satis deliberationibus datum. Maturentur optime conſulta. Sponte ſua multa in vulgum prorumpunt reticenda, ſi diuturniore ſupprimi ſe ſilentio indignentur. Utut ne ne prorumpant; non poſſunt non eſſe ſuſpecta. Eſt ſua quid cogitanti ſecuritas: præcidunt illam, in quibus crimen eſt vel cogitaſſe. Excubat pro foribus noxa non pellenda niſi per moras ſublatas. Exitio ſit ad tam grandia ceſſaſſe.

Acerrime Brutum hæc pupugere noviſſima. Idem tamen qui ſemper & ſuus fuit, cum nec eorum quicquam quæ res exigeret prætermitteret, nec ſe tam triſtibus aut ſuſtineret aut dignaretur vinci ut minorem infractumve.

TEXTUS.

Indicto ſenatu cum certo exiſtimaretur Cæſar ei interfuturus, ſtatuerunt rem aggredi: quippe & ſe quoque nemine quicquam ſuſpicante frequentes ibi futuros, & habituros in promptu primos optimoſque viros, qui tanta re confecta ſtatim eſſent libertatis defenſio-

fensionem suscepturi. Locus quoque omen ipsis prosperum videbatur habere. Erat enim senatus indictus ad idus Martii in porticum unam earum quæ theatrum ambiunt, excedram habens, & in ea imaginem Pompeji à populo positam cum is porticibus & theatro locum istum exornasset: ita ut numen quoddam videatur Cæsarem ad dandas Pompejo pœnas adduxisse.

EXCURSUS.

Quam flagrantissime hoc Brutus desiderabat sua ut Cæsarem manu perimere quantocyus posset; quam acerrime ignes hos illi ac plus quam gladio fodicante Portiâ: cujus ipsi semper in oculis imago, tam tristis, tam indigna animam, ut videbatur, cum sanguine positura. In votis erat ut illius morti mors tyranni anteverteret: sanguinis tam constanter profusi qualecumque redhostimentum, tam care redempti secreti qualecumque solatium. Eam, quæ ut sciret quid vellet sic morti præluserat, scire antequam expiraret volebat effectum esse quod voluerat.

Quotquot adversum principes sunt conjurationes, ut periculosæ itidem quoque iniquæ sunt. Multo plus adhæc periculi in inchoandis illis, quam in ipsa est executione. Fuit hoc negotium à Bruto Cassioque summa prudentia tractatum. Non assumtis nisi istis, quibus omnino necessarium erat ut ipsius Cæsaris latus stiparent, sic, uti nec abesse citra suspicionem possent, præsentes nullam de se

ſuſpicionem præberent. Omnes Senatores erant: locus executioni deſtinatus, Senatus ipſe. Nec ſolus, neque unus inter principes eſt Cæſar qui à conſiliariis ſuis ſit interfectus. Plures perdiderunt mala conſilia quam inimici. Hac in re paria faciunt leges cum Medicinâ. Qui homines occidunt medici, ab iis quos occidere, habent ipſi unde vivant. Ubi occiderint culpatur morbus mali moris, rejicitur in cauſam mortis illius malignitas. Ubi principem ſuum conſiliarii, miniſtri, male perdidere, fortunam adverſantem cauſantur: unum utriſque commune quod & illi & hi ſint homicidæ, quibus ob navatam operam *ſtipendium* perſolvitur. Eodem illo pharmaco quod ſalutiferum fore medicus dixerat ſumto, æger interit. Id ipſum quod Conſilarii expedire quam maxime bono publico confirmaverunt, unum illud ſæpe eſt per quod, cujuſve cauſa princeps & regno ſuo & omnibus excidat. Contrucidato Cæſare, rumor nihil præterquam quod interfectus fuerit, habet. Quod nec mirum iis qui diſtrictos in ipſum mucrones notarant, quibus autoribus, aut per quæ id factum fuiſſet deſtinata, perinde cum notari non potuerit. In eo differunt à medicis qui per inflicta vulnera mortem inferunt, quod negare non poſſunt quæ fecerint, illis in tuto ſemper locatis, quod nullam habeant admiſſorum à ſe conficendi neceſſitatem. Quæ ſane inſignis & magna prærogativa, non tamen quò major,

jor, eò melior. Esto hauriat unum alterumve ferale ferrum: plures mala consilia auferant, de medio tollant. Quin imo nullus unquam iis se permittat, cui non paratum sit exterminium. Miseram vero sortem Magnatum, qui nec vitam est ut propriam tueantur; iis sibi inimicis, quorum consiliis se suaque permittant. Quin imo miror ego superfuisse ullos, cum vix ulli extiterint, qui non sint experti plurimum sibi obfuisse illos privatim tecteq; inimicos; raris illis, quibus in dominos amor fideique constantia in solido semper fuerint. Noxia semper iis consilia, qui cum capere ea norunt, nesciunt, suam semper consulentes in oculis fortunam habere etiam tunc cum quid suadent, ac proinde non temere iis esse accedendum. Est interim consilium res sacra, est apprimè necessaria. Audiat hoc ergo Princeps capiatque, ea sed lege, ut quoque percipiat, perceptumque ad sua principia nunquam non reducat: quid sub eo lateat retegendi peritum se præstet: Ut optimos habere consiliarios, optima consilia Princeps possit; in semetipso quid ut habeat necesse est, quod utrisque præstantius sit ac majus. Quod cum est, & recte quæ dantur consilia recipit, facitque, ut non alia suggerentur, quam quæ recta sint. Revera Rex ille est, qui quæ determinat habeat sibi undecumque perspectissima, ipsisque consulentibus demonstrare doctus est, aliter consuli, fieri, nec debuisse. Multo sæpe plurima concurrunt quæ ex illis ipsis quæ consulueris docearis:

neque numero quoque minora quæ ex illis diſcas, quæ pro rejectaneis habita fuere. Intrat in ſenatum Cæſar, ea mente, ut cum illo in commune conſulat. Sed non jam conſulturus cum maneat eum certa & ex deſtinato mors, omnibus quæ animo præceperat fibulam injectura. Non eſt ut unquam timore improbi vacent, ſi qua læſum à ſe numen recordantur. Ea immenſæ juſtitiæ miſericordiæque divinæ ſunt beneplacita, ut cum judicia ſua exercet eadem per circumfluentium rerum circumſtantias ipſos in oculos potentior immittat. Non viſum ei ſufficere, quod contrucideretur Cæſar, niſi quid tot undique petitus perfoſſus telis, etiam in ſuam gratiam fœde interempti Pompei procumbat. Nihil æque inviſum ſibi eſſe quam hypocriſin Deus teſtatur. Gaudet Cæſar exhibito ſibi capite Pompeji humeris avulſo; ſic tamen ut oſtenderet lachrymabundus ipſe, eſſe ſuas rerum lachrymas, & quæ ſunt humanarum rerum ludibria etiam inimicas mentes ut ut renitentes percellere. Sed & tum bonus eſſe ſocer videri extimuit. Non tulit hæc tam improba figmenta divina nemeſis quæ ipſum ante ora, ad pedes ejus cui exitio fuerat projecit. Eſt ſuum Deo rerum humanarum regimen, cujus & veritas & juſtitia nunquam non ſibi conſtent. Quæ circa hæc ſunt opiniones, cum ambigitur, magiſne Deo curæ ſimus ipſi, quam nos ulciſcendi ei ſit voluntas, verminationes ſunt maleſani cerebri totidemque

que argumenta nostræ fragilitatis. Nec minus illæ quæ plures esse Deos, quorum etiam justæ sint iræ sibi finxere. Idem semper atque in omnibus est Deus qui fuit: eadem semper illi justitia est, eadem in judiciorum tenore constantia, quæque & tùm, cum remissior videri possit, nunquam ei omittitur: justa ejusdem, nobis quæ latent quæ non assequimur sunt judicia: hæc ut alioversum quam ad ipsum, male detorquendo referantur, omnino est impossibile. Tyrannum perimit cui id faciundi concessa potentia est: at nec ille dum in eo est sæpenumero recordatur & se occidi eundem in modum posse, aut omnino esse moriendum. Ab extrinsecis, quoque loquendi mos à posteriori, de divina justitia & ipsi judicamus, nec inquirimus quis ille sit qui prior judicaverit, pro judicato decreverit sic fieri debere. Ipse si vel Cæsar in ea quæ hic sibi obvenere perquirere adnixus esset, vel inspecta illa Pompei statua, non observasset eam tam quid alti, tam quid non fortuiti ac divini prorsus in recessu habere. Non credidisset inanime illud æs aut marmor pro isto tribunali reum ipsum peragere, atque altioris vice perfungi posse, ipsius nedum vitam petere, utque secundum se decernantur vindiciæ postulare. Nec alias illas, quam quibus suum ipse sanguinem vitamque sit debiturus. Sic & aliis observatum, ipsum Hierosolimitani sub intuitum templi, quod Sacrilegus violaverat, Pompejum cecidisse.

TEX-

TEXTUS.

Ea cum dies appetiisset, Brutus pugionem succinctus, sola uxore rei consciâ, progressus est: cæteri ad Cassium congregati, filium ejus qui virilem tunc sumebat togam in forum deduxerunt. Inde omnes in porticum Pompeji se conferentes, ibi Cæsarem jamjam ut putabatur, in Senatum venturum expectabant. Hic maximè virorum istorum vacuitatem perturbationum, animique in tanta periculo tranquillitatem admirari potuisset cui de ipsorum instituto constitisset. Quippe multi ipsorum propter magistratum quem gerebant coacti jus dicere, non modo ociosorum instar placide compellantes & disceptantes audiverunt, sed & accuratè prudenterq; sententias tulerunt ac responderunt quærentibus. Et cum quidam judicium detrectans ad Cæsarem provocaret, multusque esset in clamando & obtestando, intuens adstantes Brutus. Me quidem, inquit, Cæsar secundum leges agere neque vetat, neque vetabit. Et vero tunc multa ad perturbandos eos fortuito acciderunt, quorum id primum fuit atque præcipuum, quod Cæsar jam provectâ die morabatur, quem ob sacra adversa & mulier domi detinebat, & prodire aruspices prohibebant.

EXCURSUS.

Exigunt hoc quæ de magnis atque arduis rebus instituuntur deliberationes, ut aliorum improbitates, technas, vafritiem prudentia nostra præveniamus. Tam strictim,

ctim, tam addictæ nobis habendæ sunt nostræ cogitationes, ut non modo non sit per quod prodere se possint aut renudari, sed ne respirare quidem, aut à sensibus ad potentias se provehere. Oculi quippe sæpe loculuteji sunt, actionesque subinde nostræ (seu facto scismate ac divortio) se ab intellectu nostro avellunt. Qui in se collectum quid meditatur, non tacite profert id ipsum quod tacet. Ita componendæ ac gubernandæ nostræ nobis sunt cogitationes, ut ne Tyrannus credat esse quippiam, quod in eas subintrarit. Aliam atque aliam sustinere personam qui didicit, ab eo quod agere intendit aversum se fert, perinde ac si alia omnia ageret, id ni fecerit, nec illud quidem aget, quod agit. Multum in hac palæstra tyranni desudant. Populus ubi rerum est dominus, anxie perquirit in actus externos, quo citra periculum securitati suæ consulat. Ostendendum id quam minime velle, quod unicè velis. Quæ in moralibus vitium longe maximum est hypocrisis, in politicis pro virtute transmittitur. Quidquid id est mihi, nec totus ni fallor, male, potestatis iste ventus vocatur, quo se ea ceu Chameleon sustinet, cum se in omnes colores induit. Aderant conjurati ad unum omnes, Cæsarem occidendi certi, nec aliter, quam si ad rem tam arduam tot expositam casuum fortuitis, animum non advertissent, audiendis, componendis disceptationibus tam adnixi adhærebant Prætores, ut nemo tam

attentos, tam nullis impetritos perturbationibus ſimile quid in animo habuiſſe, vel præſumere potuerit, aut tegi prætoriâ ſub togâ virum ad extrema quævis patranda ſubeunda devotum. Non magis rem ullam nedum talem cum Cæſare futuram deprehendi poterat, quam ſi vel ipſe non fuiſſet in rerum natura.

Nullis unquam vel Paganiſmus vel Judaïſmus temporibus, divinam accuſare providentiam potuit, quod in ſontibus plectendis eſſet tardior, aut extra curas ſuas haberet improborum ſupplicia. Eſt hic divinæ juſtitiæ proceſſus, ut ſalubribus monitis quam benigniſſime *illos præveniat*, quorũ capitibus extrema ſuppliciorum ſuper impendent. Multi admodum fuere qui Cæſarem monerent, etiam mortis quæ ei inſtaret judicio facto. Cæterũ ita eſt, culpis quæ altas in pectoribus radices defixerunt, majores ſæpe mortales accumulant, comprimis inter illas incredulitatem, & obſtinati cordis duritiem, unde fit ut altior ſubinferat ſe, ſui fiducia, aut ſic dicere ſi liceat, confidentia, à qua fœcundiſſima ſemper omnium illorum ſcaturigo, quæ principes de ſummo deturbant. Hinc clades, hinc ruinæ, & quæcumque ad ipſos dira atque horrenda pertingunt.

Paucos ante menſes cum in colonia Capua deducti lege Julia coloni ad extruendas villas vetuſtiſſima ſepulchra disjicerent; idque eo ſtudioſius facerent, quod aliquantum

tum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant, tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capiis conditor Capuæ sepultus, inventa est literis verbisque Græcis conscripta hæc sententia. Quando ossa Capiis detecta essent, fore ut Julo prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur. Cujus rei, ne quis fabulosam aut commentitiam putet, autor est Cornelius Balbus familiarissimus Cæsaris. Hæc Suetonius. Multum fidei gentiles verbis morientium deferre consueverant, nec non scriptis quæ è monumentis mortuorum eruerentur. Certe hæc comprimis habita magni momenti. Erant illa tempora quibus odia in Cæsarem concepta latissimè grassarentur. Quidquid utique faceret concitandis, irritandis in Cæsarem animis quæsitissime adgerebantur, quod plus satis evincunt coronæ statuis Cæsaris impositæ.

Tralatitium est, multa ut affingantur morientibus, quasi divinum quid ac præsagum emittant illi spiritu non reversuro. Sic multorum credulitati illuditur. Per nos, talium fidem esto apud autores. Scribit interim alibi gravis Autor, debuisse Cæsarem, hæc ut utcumque tanti monumenti fidem elevare vellet, sic tamen interpretari, ac si Deorum iram minasque protenderent. Obstinate in talibus usque dum ac pertinaciter contraniti stuporis verius sit & dementiæ, quam ut in constantiæ nomen aut

laudes intrare possit. Memoria itidem à scriptoribus proditum proximis ante diebus, equorum greges quos in trajiciendo Rubicone consecraverat ac liberos dimiserat, compertos quam pertinacissime à pabulo abstinere, ubertimque flere. Sed & hujus Homerus Virgiliusque in similibus meminere. Mirum non sit historicum hæc mutuatum à Poëtis. Fors & adulatores Cæsaris, qui ab ejus excessu inter Deos relatum volunt, ardentem sibi stellam visam commenti, etiam hoc mendacium cœteris ejusdem farinæ commentis addidere. Immolantem aruspex Spurrina monuit, ut caveret periculum, quod non ultra Idus Martias proferretur. Alii Spurrinæ loco nescio quem substituunt, qui evidentibus prodigiis circa id tempus mortem ei denuntiari edixerit. Me quod attinet, Astrologiæ, quam judiciariam vocant, parum admodum fidei defero; qui scientiam eam esse judico quam mortales animi pusilli avide quidem arripiant, sed non alio fundamento quod plures alios fidem ei dare videant. Dixeris de hac quod de peccatis, quæ etiam ab iis committuntur qui ea quam maxime detestantur ac culpant. Falsò hæc & similia sideribus adscribuntur. Nec nisi mortalibus quibus bonas horas perdendi, otioque abutendi lubido est, accepta hæc sunt ferenda. Non eo inficias, inferiora hæc regi, temperari à superioribus, non nego à superiorum influxu ea dependere; sed pernego (qua in re adstipulantes mihi

summos

ſummos judiciarios ipſamque adeo hanc Aſtrologiam poſſim adferre) ſolidæ quid veritatis aphoriſmos habere qui ex illa conſtruuntur : quando quidem nulla dari experientia poteſt, quæ ſic habere conficiat; nulla utique talis, quam non revellant atque erroris redarguant infinita exempla, è quibus aliter ſe iſta habere doceri poſſimus. Unus idemque aſpectus, una eademque cœli domus, hunc violentæ morti damnatum nil miſerantis orci victimam judicabit, alterum in editiſſima provehendum & vel ipſa ſublimi vertice pulſaturum ſydera. Quid quod in ipſis quas ſic appellare collubitum, domibus, ac ſuis illis ſtellas & fallaces ſæpius invenire ſit, & diverſas, ut inter cœteros doctiſſimos ac graviſſimos viros demonſtratum à Sixtino, ab Hemminga Friſio, tractatu ſuo, cui Aſtrologiæ ratione & exemplis refutatæ titulum fecit. Quo quidem ipſe triginta natalitia ſchemata proponit atque excutit, totidem Pontificum, Imperatorum, Regum, quorum vitas morteſque plurimi caſus illuſtrarunt. Quod & à Leovicio Cardano, Gauricoque quantis viris! obſervatum. Jungamus quod qui ſe ex illis animis timor inſinuat, præpotens ſit, nulliuſque ſani conſilii capax. Adeo vix attinet dextrine quid ac proſperi aſtra promittant, an ſiniſtra minitentur & adverſa. Subſcribi tamen huic opinioni videas & applaudi. At nos, ſane merito, vaniſſimos mortalium exploſerimus, qui mediam ad lucem cœci,

ipſimet quid quive ſint neſciunt, qui ejus quod fuere, obliti, in illa quæ necdum ſunt inquirunt, ſolicitâque ſe futurorum curâ diſcruciant. Non me fugit multum admiranda & portentoſa ſæpe ab Aſtrologis adducta; ſunt ſed enim qui per fraudes, & proxima fraudibus involucra alienæ illuſere credulitati, quibuſcumque aſtrologis multo vetuſtiores: nec defuere, qui paſſi ſint, quiq; ab his ductari ſe patiantur: ut nec ullum tam impudens mendacium, quod careat aſſertore. Author ſim Principibus hujus generis homines ad ſe ut non admittant, non audiant, fidem nec ullam habeant admiſſis auditiſve. Quorum poſterius, etiam quæ religioni reverentia deferenda eſt, omnino vult. Nolim interim ut diſpicatui habeant: à quo ſibi prudenter, ita reor, cavebunt proprios errores, ipſimet illo ipſo, quod tales quandoque admiſerint, audierint, propalaturi. Pridie Idus Martias avem (Regaliolo nomen eſt) cum laureo ramulo, Pompejanæ ſe curiæ inſerentem volucres varii generis ex nemore perſecutæ, ibidem diſcerpſerunt. Ea vero nocte cui illuxit cædis dies, & ipſe ſibi viſus eſt per quietem interdum ſupra nubes volitare. Aliàs cum Jove dextras jungere. Et Calphurnia uxor imaginata eſt collabi faſtigium domus, maritumque in gremio ſuo confodi: ſubitoque cubiculi fores ſponte patuerunt. Concedamus hæc ita ſe habere ut ſunt à Suetonio conſcripta. Quot hiſtorias hic legimus, quot

quot occurrunt ipſis narrata prodigia; totidem occurrunt monumenta miſericordiæ divinæ cum ut qui conſpirarant abſtinerent à tam male ominatis; tum ut Cæſar ad tantos monitus, ultra ſe non duraret. Sint porro mille aruſpices, augures, vates conſulti; omnia ut ut contigerint nec Cæſar habet, ac ſi præmonitus non foret, quod de Deo queratur, nec habent qui conſpirarant quid ſe quo excuſent. *Attendant quotquot ſunt rerum domini, cum hæc in ſe demittent, non eſſe illa nuda hominum commenta, aut quæ deſpicere impune liceat, ſunt digitus, ſunt manus regnantis Dei, in ſe hæc dirigi, intendi agnoſcant, nec minus ſummam illius benignitatem devenerentur, qui non admonitos modo velit, ſed & præmonitos.

TEXTUS.

Deinde ad Caſcam unum ex his qui conjuraverant quidem accedens manu apprehenſa: Tu quidem, Caſca, arcanum tuum nos celaſti, ſed Brutus mihi omne detexit. Conſternato ad hæc Caſca ridens pergit, Unde enim tam repente ditatus es, ut ædilitatem petere intendas? Tantillum abfuit, ne Caſca ambiguitate lapſus, arcanum efferret. Ipſos Brutum & Caſſium Popilius Lenas vir Senatorii ordinis cum ſtudioſius ſalutaſſet ſubmiſſa voce, Precor, inquit, vos fœleciter quod ſtatuiſtis perficere: neque enim tacita res eſt. Ita locutus præteriit, cum quidem magnam injeciſſet ſuſpicionem eſſe evulgatum conſilium. Interim quidam domo ad Brutum

Brutum accurrit, mori uxorem ejus nuntians. Porcia enim de eventu graviter anxia, magnitudinemque solicitudinis non sufferens, ægre se domi continebat, & ad omnem strepitum clamoremque, earum instar quæ Bacchi agitantur furore exiliens, ex unoquolibet à foro veniente quid Brutus ageret sciscitabatur, aliosque subinde speculatum mittebat. Tandem cum tempus traheretur, vires corporis non suffecere, sed animo ob anxietatem æstuante collapsæ sunt, ita quidem, ut in cubiculum ire non occupaverit, sed ut consederat in medio, stupor eam ingens & exanimatio corripuerit, unde & color mutatus est, & vox penitus interclusa: eo viso ejulationem sustulerunt ancillæ, concurrentibusque ad voces vicinis, statim rumor dissipatus est eam obiisse: verum eam, cum mox rediisset, ancillæ refocillaverunt. Brutus autem, quanquam erat, ut par est, eo nuncio perturbatus, non deseruit tamen publicum negotium, neque affectus eum ad curam suorum avertit.

EXCURSUS.

Turbatis Reipublicæ rebus, dum sursum deorsum aguntur omnia homines otiosi quibusque male feriata libido est omnia sciscitandi, quo ne nihil agere, nihil sapere videantur, credi ultro gestiunt multa esse quæ prævideant, eaque cum efferunt, haberi eo loco volunt, quo habentur quæ ex Jovis tabulariis. His affines supra quos notavimus, Astrolgi, tam & illi, quibus domi res non est nimium larga. Cum secreta propalari possint, possint tegi, &

multa

multa inter utrumque intercurrere; non ſtatim credendum, ob id quod alicui notitiæ, veri cuipiam referuntur affinia, & à vero non abeuntia, vera ideo eſſe aut referenti cognita, aut ſi qua per caſum reticentur quæ dici potuiſſent, taceri utique non debuiſſent, luxatam fidem ex ſe aut ſuum ſecreto non conſtare ſecretum. Dominatur in talibus fors fortuna, fortuitis etiam maligna ſubinde intercurrunt. Vafros hic eſſe velim, utique non inparatos, quin imo ut in utramque ambigua habendi non neſcios illos, qui in illos incidunt, qui videri ſe ſcire volunt id quod neſciunt, & cum interrogant quicquam, non aliter id faciunt quam ſi de ſibi probe notis interrogent.

Titubabat ad quæſita Caſca, & dum tacebat, ipſo multa ſilentio vulgabat, quæ ſciri nollet. Major altero tanto in Bruto & Caſſio prudentia: audiebant Pompejum Lænatem non à vero aliena dicentem, cæteroquin ullam ab his dictis ſuſpicionem ſibi injectam, ſic ut nec obſervari quid poſſet, cati diſſimulabant; neque omittebant ob his ſibi injectos metus vel tantillum, quod eſſet inſtituto quod præ manibus erat maturando, contra Cæſarem atque omnia quæ arietare in ipſos poſſent, æquè immoti. Audito conſortis ſuæ è vivis exceſſu Brutus, ſeſe, quò ne Reipublicæ deſit, dolori negat. Tyrannum contrucidaturus, ante eſt ut in ſuam quam in tyranni necem conſentiat; exciſuris abſque hoc ſuis auſis. Pacem hic videas

& honoris & prudentiæ rationem à Bruto habitam. Si quidem explesset illius Porcia diem supremum, sciebat sibi non esse in manu ut in vitam revocaret jam defunctam: occasionem è manibus hanc elabi si pateretur, videbat sibi nec expectandum quo ad usque illa exinde sese daret: quod nec futurum unquam si vel fieri posset apud se revolvebat. Duxit esse sibi pro omni ratione, pro suprema lege debere necem tyranni, iret, expiaret morte Cæsaris domesticum funus. Non tempus lachrymis, quos oculis tanti undique animi confluctus, quidquid humidum in eis esset siccantes, suum facientes nec sufficere possent.

TEXTUS.

Iam & Cæsar lectica advenire nuntiabatur, qui ob sacrificia parum læta animo æger; statuerat, nihil de rebus magnis decernere, sed valetudinis excusatione uti, & in aliud ea tempus differre. Egresso lecticam Popilius Lænas, (quem paulo ante demonstravimus Bruto & Cassio prosperum successum ejus quod intenderent precatum fuisse) se adjungit, & aliquandiu ad eum verba fecit stantem & diligenter animum intendentem. Ergo conjurati (sic enim appellentur sane) vocem ejus non percipientes, suspicantes autem eum indicium insidiarum deferre, conturbatis rationibus mutuo se intueri, vultuque se invicem docere, non esse expectandum donec caperentur, sed statim suis ipsorum manibus appetendum: Jamq; & Cassius & alii

alii capulos sub vestibus arripuerant, & stringebant pugiones, cum Brutus Lænatem & vultu & gestu non accusare, sed aliquid flagitare colligens, hilari vultu (nam quod permixti etiam alieni à conjuratione his multi erant verbis uti non licebat) Cassium confirmavit, ac paulo post Lænas dexteram Cæsaris osculatus decessit, satisque apparuit sui eum & necessariorum alicujus causa cum Cæsare collocutum.

Quæ sequuntur ex vita, non Bruti, sed Cæsaris apud Plutarchum desumta sunt.

Artemidorus quidam Gnidius Græce dicendi magister, atque ob eam rem quorundam Brutianæ conjurationis sociorum familiaris, ita ut pleraque eorum consilia haberet cognita, indicia rei in libello perscripta ad Cæsarem attulit: cumque eum videret libellos accipere, ac suis famulis porrigere, proxime aggressus: Hunc, inquit, O Cæsar, solus lege, & celeriter: continet enim res magnas & tua plurimum referentes. Acceptum Cæsar cum sæpius conatus esset legere, prohibitus interpellantium multitudine in manibus retinuit, solum omnium reliquorum itaque servans in curiam intravit.

Ex Suetonio.

Quinta fere hora progressus est libellumque insidiarum indicem ab obvio quodam porrectum, libellis cæteris quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit.

Dein pluribus hostiis cœsis cum litare non posset, introiit curiam spreta religione, Spurrinamque irridens, & ut falsum arguens,

quod sine ulla noxa Idus Martiæ adessent, quanquam is venisse quidem eas diceret sed non præterisse.

EXCURSUS.

Præterquam quod imbellem animum ac nihil ausurum fortiter redarguat; ut ait ille, *Furor est ne moriare mori.* Non alius vilior ab intellectu nostro partus edi producive possit, cum ignorantiam & metum parentes habeat, duo illa vitia quorum infame contubernium nullo unquam divortio separatur. Ita est. Ignorat quisquis timet, quisquis timet agit ignarus. Unum scire desiderem, unde id sui interficiendi ei profluat animi robur qui non habet aut vires aut media per quæ sibi prospiciat ne interficiatur. Suspicor produci hunc effectum à timore mali venturi, qui multos in extrema sæpe immisit pericula & multos quoque in sanguinem durat ac vulnera. Plures in prælio metus hausit quam ferrum, nec exiguæ numero victoriæ desperato citius timori adscribendæ sunt, quam veræ Virtuti. Victores id ipsum edocuit, quo sinceræ quam obtinuerant victoriæ sibi fructus constaret, hostibus in fugam actis, contentos agere. Unde colligo, quod metus ipse formidabilem se reddat, quodque qui se prælio subducit ansam vincendi porrigat insequenti. Potiori jure illum excuses qui metu moritur, quam qui per metum violentas sibi manus infert. In illo absque cujusquam noxa natura id

id quod facit perficit; in hoc & crimen, & vitium, nec minus turpiter dejecta mens concurrunt. Claros contra æternosque habere sueverant, qui assumto sibi arbitrio sui, quo ne in manus hostiles inciderent, de se decernebant; cum nec tamen observarent esse utrobique eundem animi projecti ac vilis effectum; idem utrobique ipsis ab hostili insolentia ac furore expectandum fuisse. Stulta sunt impedimenta quæ à metu proficiscuntur. Infert sibi mortem Cato, quia non infert Cæsar. Hoc si verum, victus fuit ille ac per suammetipsius confessionem; semetipsum damnavit, de se vindictam sumsit, ipse sibi carnifex, & quæ Cæsaris erat futura contra se ultionem executus. Hæc si ab illo ad timoris calculum fuere subducta, si quot dies superesse potuit, totidem sibi mortes existimavit, unam si maluit quam plures, qui fieri pote, ut qui fatetur metuere se ne alteri submissus cogatur vivere, alio quam timoris nomine appellari velit, quod semet interficiat præ metu ne incidat in servitutem? Confitetur utique indignum se esse qui invictæ patientiæ & quibusque calamitatibus valentior audiat. Patientia, tolerantia veræ virtutis sunt statumina. Manca in tales semper ruit fortuna, quæcumque dura atque aspera sunt ab his convulnerantur: in his contusas, infractas sentit vires suas, quidquid est calamitosi.

Tandem demum Cæsar insomniis, divûm auguriis, por-

tentis, à periculo ſibi ut caveret jubentium monitis, ac quibus non denique diſtrahi ac miſerandum in modum exagitari ſe animadvertens, fata ſuperare, cedendum duxit, quocumque letho potius habens occumbere quam in ſingula momenta ſuæ ſecum vitæ ſupplicia circumferre, mortem in ſinu geſtitando, nec alia mercede, quam ut nunquam non ſentiret ſe mori. Non attendit utique ſponte neminem in mortem ſuam irruere, qui totus in eo eſt, ut quibuſcumque poteſt modis illam vitet. Atenimvero ſciebat uſurpatum ſibi in liberam, in rerum dominam ante gentem imperium, affectatam tyrannidem illud ipſius (loquar verbis Poëtæ)

Uſque adeone mori miſerum? vos ô mihi manes
Eſte boni, quando eſt ſuperis averſa voluntas:

aliunde non potuit quam ab animo ſibi male conſcio prorumpere. Quanto ſciebat verius, tyrannum ſe eſſe (omnes habentur & ſunt tyranni qui in civitatem liberam imperium affectant) tanto ſe quoque ipſum magis condemnabat, non aliud de ſe, quam quod de tyranno laturi ſint omnes judicium ferens. Judicii in ipſo fuit, non temeritatis, quod Iberâ ſe legione communire neglexerit: gnaro quippe, quaſcumque excubias circum ſe fruſtra fore, quantiſper omnia non reſtituiſſet in priſtinum ſtatum, refuſis damnis, poſito quod detinebat imperio. Noverat ad extremum ad mortem ſibi jam tum deſtinato

uſui

usui futuram quam circumdederat legionem, quam ut forte sublati de medio funus comitarentur. Mortem quæ jam fores pulsaret nequaquam aversuri nihil pronius, quam ut sciscant nec esse ut eum ultra principem servent, quem sui pro principe ultra non habeant, quemque in vivis amplius non esse nemo sit judicaturus, quam qui eum sustulerit; at neque ab eo occiso porro quid sibi reliquum, quam ut ipsimet carceri mancipentur suplicio subdantur. Ab illis, qui spolium vitæ illius, sic facti domini rerum, jam nunc tulerent. Cæsar (ut facile notatu est secum hæc putasse ipsum) vitam suam legionariis defendi posse desperabat. At neque à se impetrare poterat, illos se pro ipso moturos, quem tyrannum judicatum animadverterent. Meo judicio, quod ultra nihil sibi præsidii super esse judicavit, neque temeritati illius, at nec animi magnitudini adscribendum. Horrendis & plus quam decumanis illius mentem oportet fuisse conquassatam fluctibus, cum facto in contrarium deflexu ad illam abripi se sui fiduciam male temerarius pateretur, ut contra hæc oggerere auderet. Nullius salvus ut foret magis interesse quam Reipublicæ. Næ illi dementes sunt, qui à periculis, à dispendiis quæ subitura, passura sit respublica, isto sibi nomine securitatem polliceri audent quod suis agnoscant esse permixta. Nec malorum publicorum aliam mensuram putant quam quæ sit suorum. Nemo cui cor sapit animum indu-

induxerit, potiorem alteri salutem suam futuram, quam fuerit ista sibi ipsi. Prodidit, sicubi usquam, hic saltem Cæsar, magna nimium se de sua fortuna præsumere talem tantamque cum crederet: omnibus à se toto vitæ circulo fortiter ac præclare gestis, teterrimam nubem induxit, si non & exitiali veneno afflavit. Non alio magis facto eorum qui se contra coïerant res locavit in expedito, totũ se atque intectum adeoque suis inimicis præbuit. Aream aperuit in qua copias explicarent, campos apertos, nullis ultra quæ morarentur, nedum ut premerent aut attinerent, obseptos. Undecumque ex æquo exacerbatos & parili in necem illius pertinacia durasse constat. Videas hinc Cæsarem certum moriendi, dum contra tot sanæ rationis dictamina tot quæ dehortarentur amicorum monita, atq; ipsum quoque naturam sese non aliter quam sibimet si irruendum sit componere. Brutum ex adverso sociosque conspirationis malum nisi cum Cæsaris vita facturos finem: nec nisi ab illo contrucidato quieturos. Altiusque ob id, ab ipsis quæ obstarent impedimentis assurgentes, cumq; nec deessent, illo ipso temporis puncto quæ sistere potuissent: præsertim ambiguo sibi atque in longum extracto illo Popilii Lænatis colloquio. Lancinabat animum Cæsaris conjunx Cæpurnia, terrebant augures, pervellebant aruspices, tetræ hostiæ, est tamen potentior his omnibus Decius Brutus unus è conjuratis, qui visu cavillisque ista omnia elu-

eludens, ei ut ſe permitteret effecit, ab hoc in Curiam deductus. Fas mihi ſit dixiſſe, ipſum Cæſarem fuiſſe primum, ultimum, maximum denique omnium eorum qui in ſe conjuraſſent ſui proditorem : conjurationemque omnem ſi talem ſe ipſe ſibi atque in ſe non præbuiſſet, in fumos iturum fuiſſe. Credunt majore periculo magnates, quam addubitant. Qui ſuper aliquo partem in hanc aut illam ambigit, etiam dum deliberat ſui juris eſt: ſuus eſſe deſiit, alterique ſe tranſcripſit, quiſquis præter illius fidem nihil ſibi ut ſupereſſet fecit. Quam ab omni periculo ſe immunem crediderit, argumento ſit, quod cum ingreſſurus curiam obvium ſibi Spurrinam haberet, à quo tam ſerio monitus fuerat malum aſtra ipſi intendere quod tamen ſe ultra Idus Martias non porrigeret, Spurrina dixerit, hodie ſunt Idus Martiæ. Credi poſſit ipſi Cæſari moleſtum fuiſſe, quod ſi qua ipſum manerent incommoda tam non citatis paſſibus ſe promoverent. At eſt mortalium in rebus hoc frequentiſſimum, ut periculis ſuis ludibrium exinde debeant, qui notato quod in illis eſſent conſtituti, ea nihilo ſecius contemſerint. Quantum vero & hoc quod veniſſe quidem Idus Martias, ſed necdum præteriiſſe reſponderit? Si mens ei læva non fuiſſet, ſuffeciſſet vel hoc ſolum ad ipſum ab incepto retro retrahendum; verumque ut fateor, tacitus me horror ſubit, cum contra hæc omnia tantum virum duraſſe recordor. Poſſet tamen

idipſum quoque minus illo videri, quod cum alter ipſa codicillos in manus daret conjurationis judices, nomina quoque omnium qui conjurarant percenſentes, addito, ut ſtatim legeret; id enim uti faceret, ipſius quam maxime intereſſe. Cæſar iſtos ab aliis item quos manu teneret codicillos ſeparandi curioſus, hos intra digitos habuerit complicitos, at non lectis tamen illis curiæ ſe intulerit.

Evidentiſſimum eſt his tot tantiſque in quæ Cæſarem animo prolapſum videmus deliquiis, divinam ſe providentiam immiſcuiſſe. Quis expectaſſet ut uni homini, eique in ſe conjurato fidem haberet, ſe caputque ſuum permitteret qui nec avibus, nec animalium ſpirantibus extis, nec ſepulchris, nec aſtris, nec ſacerdotibus cor victimum non habere dicentibus, nec ſibi ipſi qui eodem die, eadem hora, ſenſerat ſe diis litare non potuiſſe, nullis denique divinis amiciſſimorumve hominum monitis fidem ut adhiberet induci potuerat? Apparet quam labilis, quam fluxa illorum ſit memoria, qui rectis omiſſis rebus ſeſe crimen habentibus invergunt. Habet vitam ſuam in manu Cæſar, nec habere ſe ſcit ejus quod habeat in tantum negligens, ut obliviſcatur. Scit, ſcire utique & potuit & debuit, mortem ſuam in alterius eſſe manu, nec eo minus, iſti ſe in occurſum præbet. Ita eſt, nihil in manu noſtra habemus quod lucro nos augeat, nihil Deus manu ſua atinet nobis quod damnum ad ferre poſſit. Raro conſilia

ſalu-

ſalutifera quæ in manu tyranni ſunt fœlices exitus ſortiuntur: novum non eſt ut recta monentes illi quidem audiant, ſed iis quorum monentur non admiſſis ut neque novum quoque ut omnibus ob non admiſſa fuerint excuſſi. Ut ſæpe principes ad ſe miſſa quorumque ut neſcii non ſint ipſorum intereſt, ſive id per negligentiam, ſive aliis intercedentibus, omittant, negligant, tam non eſt nuperum ut incanuiſſe in aulis dico poſſit. Tempus quod ad legendum ſibi ut deeſſet Cæſar fecit, etiam fecit ut nec ultra ei tempus fuerit vivendi. Summæ æquitatis eſt, ut qui profutura, qui tempori adhibenda malis remedia male ſanus non adhibet, differt, & tempore ab ipſo, & remediorum quæ applicare neglexerit, omniumque quæ profutura fuiſſent, fructu deſtituatur.

TEXTUS.

Poſtquam in excedram pervenit ſenatus, reliqui ſellam Cæſaris circumſtiterunt, tanquam de re aliqua compellaturi: & Caſſius fertur ad Pompeji ſtatuam converſa facie hunc quaſi ſentientem ad auxilium vocaſſe. Trebonius Antonium ante fores in colloquio detinuit.

EXCURSUS.

Aptum & rei magnæ præruptæque executioni mandandæ convenientem noſſe locum eligere tanti refert,

quanti ipſum quod moliaris refert ut fideli ſilentio contineatur ab iis, quod tecum in conſcientiam vocaveris. Omnia quæ in conjuratione hac accurrunt, oſtendunt quanta omnibus, ſingulis fuerit circumſpectio, quanta cura ut agerentur omnia ſummo cum judicio, & quantum pote caſuum fortuitis eſſent inaccercceſſa, quam minimum ſaltem in caſum ut daretur: Ergo cum de perſonis qui peragerent provide conſtituiſſent, eadem providentia locum ubi perageretur deſpectum ipſis. Ejus nonnulli opinionis erant, aggrediundum eſſe Cæſarem in publico, quorundam in propriis ædibus rectius id fieri poſſe, quorum neutrum à maturo aliquo conſilio: ſed ab impulſu aliquo concitatioris per iram animi profectum potius fuiſſe, de facili deprehenderis. Marcus Brutus ut erat omnium caput, omnium quoque meditamenta ut in urnam conjecta colligebat. Placuit tandem ipſo in ſenatu tranſigi. Allegarat nempe Brutus, aggredi in publico quæ iſtius ſunt generis vaſtis obnoxium eſſe periculis, quæ & ipſa talia ſint ut præter certam inde perniciem certum exitium nihil ſibi ſint relaturi. Eam Cæſarem ſuſtinere dignitatem quæ multo magnoque ſtipatum aſſeclarum globo offendi eum ut deprehenſum in aliqua ſolitudine, non ſineret, eſſe etiam in iſto globo quam plurimos quos omnis generis beneficiis ſui ut eſſent jam diu perfecerat, plurimos item quos ob inſignē meritorum

famam

famam experiretur addictissimos, neq; minores qui privatis de causis ipsi essent adstricti, quosque adhæc sua dignaretur amicitia, quibus omnibus, neque numero neque authoritate destitutis, illum admodum exacta tam sanguinolenta mors devexos ad misericordiam animorum motus ipso auspectu ut ne daret metui debeat. Ita comparatū esse ut vel sceleratis nedum infœlicibus ipsæ amorem miseriæ parent, amores provocante, dum nimia videtur, iniquitate sequioris fortunæ. Populum in successibus repentinis publicisque ad primos motus, concitatum rapi, eique accedere, quod quali quali modo præjudicio se probare potuit in non alia quam quæ in primos obtutus se inferunt intendere se valenti. Plurimos ad hæc è populo, ut utcumque vel alias à Cæsare male fuissent habiti, minusve ei addicti, neutrarū partium se habituros, quamquam similius sit vero accessuros majori potioriq; parti qui essent animi generosi & à patriæ libertate non aversi. Esse quidem mortem extremū omnium etiam quæ invisissima habemus atq; illorum quos inimicissimos habuimus lineam ultimam: sed quis in tanta turba, tanto mortalium quid agant quid non agant, quo ferantur aut non ignorantium confluxu, colluvie, tamque confusis & turbatis omnibus, ea quæ in rem præsentem sit de morte Cæsaris edisserat, ea quæ disseruerit assensu publico probatū iri sibi promittat? At & citra hæc tam confusa, qui

è populo ſedatiores ſint atque in ſe collectioris, ignaros ſe horum fuiſſe ſe cum videant,& aut ſtudio non adhibitos,aut tacite præteritos, alieniores futuros eſſe, & ſeceſſionem ab iis facturos à quibus contemptim ſint habiti. Stultum denique omnium aſſenſus, omnium applauſus ideo hic ſibi velle ſpondere, quia patriæ expediat, ut agat expers tyrannidis; ac ſublato tyranno pulchrum ſit ut poſtliminio ad libertatem quam ei interempto Cæſare re donaturi ſint,ut revertatur. Vidiſſe eos, quam multi ex præſtantiſſimis & maximæ in Republica potentiæ atque authoritatis ac primi ordinis Cæſaris partes ſecuti fuerint, eum per ferrum & flammas eum ſubvexerint in illum apicem quem tyrannide nunc ſua occuparet, horum omnium intereſſe ut ne pereat. Cum ſpes eorum totæ in Cæſaris collocatæ unice ab illius incolumitate dependeant. Proſpici ſat poſſe, quam difficile ſit futurum ubi lacerum mutilumque interempti corpus cum populo plebs oculis uſurparint, primos illos ad obtutus perſuadere ipſos, qui numero nimis multi non ſint ad ea patranda, non alia de cauſa quam patriæ libertatis amore impulſos deſcendiſſe, nullo livore, nullo odio aut privatis rationibus adactos: non ſublatum voluiſſe privatim Cæſarem, ſed in Cæſare & cum Cæſare bono egregioque publicis, uſurpatam ei tyrannidem. Quid ſi & occlament pro uno qui ſublatus ſit tyranno plures obtrudendos ſub quibus Res Romana

ſuſpi-

ſuſpiret? ſi tyrannidem affectare ipſos tyrannicidas? Eſſe eam populi indolem ut odia in illos quibus viventibus quam peſſime voluerunt ultra mortem ex quo nihil ſit quo nocere poſſint, non extendant, inſuper proinde habere eorum omnia: ex quo vita exciderint etiam laudes audire, elogia cum applauſu admittere, funerum apparatus ſolennia, magnificentiam laudare, externis moveri, ut quæ mortuos fas ſit comitari. Magnos hic quoque faciendos ejulatus planctuſque ſequioris ſexus, quos ſcire debeant ut immodicos & inconditos, valere quoque impellendis virorum animos, & in partem quamcumque ut per revulſionem raptandis. Intereſſe proinde acta, tranſacta eſſe omnia, antequam quid agi propaleſceres: tutius ſciri mortuum eſſe eum, quam quid morti cauſam dederit: nec expedire ut quem jam extinctum ſciant, quemadmodum perierit adſpectent. Non poſſe hæc omnia commodius aut haberi aut vitari, quam ſi in ſenatu cadat: quod & factu ſit facillimum, loco nimirum ad ipſum facinus appoſitiſſimo, eos inter homines, quos non abeſſe ex re foret ipſorum atque inſtituto, ipſi facinori ex quo fœliciter patratum fuerit authoritatem non levem tam ab ipſo quo patratum ſit loco acceſſuram quam ab iis qui adfuerint. Patratum ut quod ſit ipſo in libertatis alioquin etiam volentibus & magnus diis. Nihil proclivius quam ut pronis animis ac ſtudiis totus accedat Senatus, FACTUM BONUM ſciſcat.

ſciſcat. Ipſam quoque Cæſari quam intulerint necem indepturam eſſe non levem ſui (ſic dicamus) reverentiam, nec fore ut odioſe per ora vulgi traducatur. Nullo pacto tutius validiuſque incompoſitos ſequioris ſexus planctus exiri, iis occurri quæ crudo mulierum luctu & protuberantibus ab illo incitamentis maſculis ſe virorum pectoribus immiſſura timeantur. His ſublatis, utique remotis, protelatiſque redituram ſperari poſſe, veram quæ ſit ac ſua, rebus faciem, profuturos omnia ſecum abſumentis, depaſcentis temporis decurſus; & quæ in crimen rapi poſsent ab incitatis, juſto trutinata judicio, ire de tempore poſse in illas, quas mercantur laudes, credi adminimum, è Republica fuiſſe ſic fieri. Abſit ut ad inſtruendas conjurationes hæc à me ſcribantur: id ago, ut ab his prævisis ſumma illa nomina petenda ſciant illa, quibus ſibi cavendum eſse ſtatuere debeant. Loqui pauca in hanc rem mihi & quidem pro re, peto ut concedatur. Folia ſalviæ, cum ſint ſi qua herbarum ulla, apprime ſalutifera, non ideo pro lethiferis aut exitialibus culpari fas ſit, quod uſus eis nonnullus jus fuerit ad dentifricium, veneno perierit. Recidente videlicet omni in bufonem noxâ qui ejus radici adſederit, venenum affuderit, tanto animalium omnium ipſe peſſimus, quanto meliorem herbam elegit per quam in vitas mortalium, nihil tale ſibi metuentium tectus ipſe atque inobſervatas poſſet latro-

cinari.

cinari. Non metuo si qua innoxiæ hujus scripti pagellæ incidant vel in oculos alicujus basilisci, qui scio ferales illis esse, neque culpam in læsos ullam conferri, sed in illos solo etiam aspectu necare consuetos. Nemo qui instituti mei rationem novit, accusare id, aut ab alio culpari velit, nisi & ipse, tactum ubi se sentiet, doliturus sit ista à me propalata atque in medium lucem protracta, quæ sibi nec observato in actum deduci posse speraverat. Reges simulatq; timere didicerint, scient etiam vivere. Non bibunt aconita nisi ab illis præbita quos habent à poculis, & nec præbent nisi sibi libata. Nunquam ab iis quos magna locorum sejungit intercapedo convulnerantur: non ab iis decipiuntur quos suis non adhibent consiliis, præsertim si neque illi cum privato se lare tueantur, extra se nihil quærant, eorum extra se nihil ad se pertinere ducunt omnium securi. Memoria teneo, extitisse in tantam furoris rabiem qui sint abrepti, ut in publico quoque reges trucidarint, sed non nisi unus alterve tot jam à sæculis, numero utique paucissimi occurrant. Dicas in annulum posse compingi. At nemo eorum numerum teneat, qui suorum manibus cœsi occubuerunt. Quot filios paternam in hæreditatem fatis patris præcipitatis amici & necessarii paterni immisere. Tot bella (ter centies prælium commisisse perhibetur) ubi plurima semper imago mortis, ubi mors ipsa indefrænatos cursus exagitat, incolumem, quem

ad ſuos quem remiſere, morti dedit ille locus, in quo ſpiritus reipublicæ vitalis, dia mens imperii. Deum veneror, ut quos ſublime Cæſarum nomen auguſtos voluit, longe ab iis habere velit. Quæ publice privatimque, quod Cæſar eum ad modum perierit, in cauſam ſtetere.

Factum quoque Caſſii ad ſtatuam Pompeji reſpectantis dignum eſt quod notetur. Quod eum ut in auxilium ei ad ſufficiendas vires velut excierit, Idololatricum quidem fuit, ſed quod ab ira ob depreſſum illum, optimarum pro republica partium ducem, & per fœdiſſimam probationem de vita deturbatum conceptâ protunderetur. Quiſquis alteri mortem per vim machinatur, perſuaſiſſimum habeat, non eadem facilitate quo ſanguinem inimici datur effundere, impediri poſſe aut effici, ut non longius ebulliat ſeq; ejaculetur in citeriora. Fuit Pompeji ſtatua conjuratis auxiliaris numinis, & ad vota quæ vocares eſſet reſponſuri loco. Jam tum latera Cæſari cum vixdum curiam ingreſſus eſſet conjurati circumſepſerant, dixiſſem à turba venantium cinctam indagine belluam, quo ne quid ageretur animadverterent alia atque alia adgerunt. At non erant ipſis agendi tempora verbis amittenda, erat HOC AGENDUM. Sublato Cæſare, de cæteris erat deliberandi, ſtatuendi ſuum tempus. A conjuratione Antonium excluſerant. Prudenter erat ille & fortis

fortis, animique magni, & pro re mentis efferæ, laborum, inediæ, sitis sic juxta patiens, ut virium inexhaustarum indefessus ipse videretur, natus ad bellum, nec minus bellis fœlix, tum quod in causam valebat maxime, erat ob hæc illa Cæsari acceptissimus, tenebatque in illius amicitia locum inter primos, eoque ipsis amovendus. Sciebant jam ante bellum civile motum, Antonium inter eos facile principem fuisse, qui Cæsari authores fuissent, sese ne pacatis consiliis patriæ daret, senatui permitteret, legionibus demissis arma poneret. Sciebant eum à Curione muneribus expugnatum, literas quibus Cæsar absentis sui rationem haberi, sibi consulatum prorogari postulaverat pro concione ad populum legisse, quas tamen ne legerentur senatus decreverat. Sciebant ab ipso populum ad seditionem concitatum, Catone adhæc & Scipione, ad illas descendere conditiones, quas amici Cæsaris proposuissent nolentibus: ipse cum Quinto Cassio, nec sine vi, properato ad Cæsarem se contulerat, magnis illum & seditiosis clamoribus ad capessendam tyrannidem impellens. Porro excludendum statuebant quod temerarius esset, immensæ ambitionis, rerum novandarum cupidissimus, pessimis idem ac profligatissimis moribus, qui publice privatimque audiret quam pessime, ebrius, lenonibus, cinædis, prostibulariis assiduus, facinorosorum prostrati pudoris ac famæ

talium acerrimus protector, & quæ plura de eo dixeris, qui nulla virtute à vitiis redemptus non est nisi dehonestamentum ejus in qua vivit civitatis. Opera hic ergo Trebonii usos videmus. At ut utcumque omnium consensu pariter cum Cæsare de medio tollendus Antonius esse judicaretur, solus se sic censentibus Marcus Brutus opposuerat, omnia intra unum Cæsarem stare debere dictitans, quo ne aut ipsi bello civili prælusisse viderentur, aut alias privatim ob caussas, sumptas tantum in obtentum quas præ se ferrent libertatis vindiciis, in Cæsarem exarsisse. Quæ quidem prima (neque enim alio nomine vocari aut possit aut mereatur) Bruti stultitia fuit. Judicii alicujus nemo hoc in facto vel volam vel vestigium deprehenderit, scire debebat, omnia quæ per violentas actiones intenduntur ab executione ad securitatem ferri tanquam ad centrum, at securitatem non dari per illa quæ inter utrumque sunt media: securitatem non haberi nisi extirpatis omnibus, quæ eam aut posse morari, aut ex transverso incursura in illam quandoque præsumas. Credebat, demens, Cesare interfecto Antonium secum in partes venturum. Longe fuisset satius ut exitio eidem implicitus in easdem cum Cæsare partes, jugulo præbito consensisset. Peccavit ergo quod eousq; præstolandum sibi duxerit. Nihil poterat, debuerat utiq; esse compertius, quam eundem ex quo ad invadendam patriæ libertatem Cæsarem eum
ad

ad modum ſtimulaſſet, juviſſet, nec occaſioni defuturum, ſimilia ſi qua unquam ſe illa offerrent deſignandi, nec eſſe ut ſervatum eſſe vellent quem è medio tolli eſſet è republica.

TEXTUS.

Cæſari ingredienti ſenatus aſſurrexit atque primum adſedit, conjurati ſe ei circumfuderunt, Tullo Cimbro ſubornato qui pro fratre ſuo exule deprecaretur, manus Cæſaris tangebant, pectuſque & caput deoſculabantur. Cum initio preces aſpernaretur, deinde ut non remittebant vi aſſurgeret, Tullius utraque manu ab humeris veſtem diripuit, & primus Caſca (ſtabat enim à tergo) ſtricto gladio humerum Cæſaris leviter vulnerat: Cæſare capulum ejus arripiente, & latine exclamante, Scelerate Caſca, *quid facis. Græco ſermone fratris auxilium implorat. Multis jam ferientibus Cæſar, cum in orbem vultum circumferret & manus eorum exire cuperet, Brutum ubi vidit gladium adverſum ſe ſtringere, manum Caſcæ quam tenuerat dimittit, caputque veſte involvens ictibus ſe præbet. At illi confeſtim irruentes multis gladiis, ſe ipſos quoque mutuò ſauciarunt, ut & Brutus vulnus in manum acceperit, & ſanguine omnes ſint oppleti.*

EXCURSUS.

Iidem illi qui ut Cæſarem inominatum redderent atq; inteſtabilem, cœteris illius honorum inſignibus adjece-

rant & coronam, & ab eo facto, quantis poterant honores cumulatim aggerere non desiiterant, & potentiam illius quaquaversum intendere pro se quisq; erant adnixi: ut nihil aliud per hæc ipsa voluerint quam ut tanto minore molestia ipsum obtruncarent, nemo sit qui non observet. Neque enim alio tendebant quod assidenti se circumfunderent, omina prolixæ atque officiosæ humanitatis sic exhiberent, non flexis modo corporibus, sed & impactis capiti ac manibus osculis vel in tantum graves essent, ut vi conaretur assurgere. Utique plus in illis amplexibus homicidii delituerat, quam per districtos in caput ipsius mucrones, qui nec mucrones fuissent futuri, nec homicidium perpetraturi (dicendum quod res) in Cæsarem ut affectantem tyrannica districti, nisi tam obsequiosa in speciem adhibita fuissent in antecessum. Novum non est ut pugionibus confodiatur quis nullis præcendentibus aut verbis aut minis; at nunquam à blandimentis quæ sic admoventur pugiones, quibus mors inferatur absunt. Inter arma quæ offendendo lædant adulationem pauci habent, pauciores tamen, ab illa qui non lædantur quam pessime. Est adulatio clandestinus latro, qui se nec ab iis qui corpus principum custodes circumcingunt conspici patiatur. Morti ad peroccupatas primum aures quas vocibus Sireniis excantatas suas fecit, morte viam applanat, totum mox illius coragium explicitura, & erepto ex summa

ma rationis arce palladio pronos de summo deterbatura. Quæ in aulis frequentia sunt benignitatis insignia & comitatis, in proditione intenduntur, proditores effabricatura. Eadem siqua etiam innoxia videri velint, non nisi dissimulatorum & dissimulandorum sunt anteambulones. Omnia prorsus mendacia latere non possent quorumcumque oculis expositissima futura absque hoc adulationis incrustamento. Hæc coloribus illa convestit, strophis adornat, dat non observari posse, dat fallere, & vel in strages & ruinam valere. Quoscumque doli apparatus habent & mangonia, in hac officina prostant venales, tùm & quidquid habitæ seorsum ac dudum adservatæ supellectilis fraudum improbatas sibi contesseravit; non alibi reperire est. Invenit isthic quibus latrocinetur mucronis simultas, in tegumenta sua sepultus nec è latebris protrahendus dolor, vultus pro re nata sumendos, ponendos proditio: quos scelerum dirorumque factorum conscia mens attonitos habet non aliunde petenda norunt quîs se recolligant, sibi se reddant: hinc suæ insidiis latebræ, sua subornationibus gaudia, sui nitores cultusque ambitioni: nec alibi certum fixuque infame lucrum fovet larem: verbo ut absolvam, quidquid impurum, quidquid diis hominibusque infestum est, quo se probare possit compertum, habet non modio aut trimodio, sed totis quoque horreis sibi hic admensum iri. Cæsari ergo in adula-

adulationem ruunt, ut eidem de vita deturbato insultent, cineribus deturbati immingant, amplectuntur, lethalibus oppleturi vulneribus: Visus ut usum auferant, caput osculantur, osculantur manusque stringunt qui suæ defensioni pares ultra nolunt, ut in alterum ab se ipso vitaque sua illum disjungant, cunctim circumcingunt. Cæsar tam indigne se præventum animadvertens, perculsus atrocitate facinoris quantillum tardat: arrectum se tollere nititur quo violentiam avertat. Ægrè domesticas insidias abs se principes amoliuntur: His ut ansam præbere ipsis nimium facile, ita ubi dederint evitare illas vix est ut possint, nedum ut superare. Damnum sibi nulla arte reparandum addit, ita quisquis principum, se componit ut sua qui mora ac culpa eo reductum videt, ut neque remediis quorum incapacem se reddidit locus supersit. Humeris vestem avellit Tullius Cimber: inter humeros primus Casca telum figit. Qui veste spoliari se Princeps inultus patitur, animum spolianti addit, ut cum veste eripiat & vitam. Anteriora vestium diripientes, stantibus à tergo attollebant signum, quo dato ferirent, necarent. Primus ille ictus quem non magni fuisse periculi vult Plutarchus, eo ipso quod primus esset, lethifer fuit. tum quoque quod animaret cœteros, & ad spissanda vulneribus vulnera exemplo dato concitaret. Funditus omnino reges evertit, quicumque animis subditorum

excutit

excutit, quam illis debet reverentiam. Hæc ubi vel paucis excussa est, simul omnibus certatim excutitur. Duplici nomine tales criminosi sunt, ut qui tam facto noceant quam exemplo, exactoribus etiam actores. Cæsar apprehenso manubrio illius quo eum Casca petierat teli; Quid agis, inquit, scelerate Casca? Hic stupendam quæ tyrannorum oculos invasit cœcitatem liceat admirari non sine stupore. Vident ante se adstantes, circumfusos qui vestes diripiant, vident infligi vulnera, sanguinem sibi hauriri, atque etiamnum quid agant, quid velint ac si non viderent ista, non sentirent, interrogant. Merito patitur, qui quod patitur quale sit interrogare sustinet, nec curat quo pacto se subducat, quo ne potiora aggerantur eis quæ jam nunc ingesta sunt impensius læsura. Quæ major dementia sit eâ, ut quid sit interroges, quod jam nunc acerbus è dolore sensus indicavit? Id inter malorum quibus obnoxii sunt magnates est omnino non postremum, ut vel tum cum interficiuntur, ignorent à quibus id fiat; & quin imo ne quidem media jam morte, sentiant se mori. Manubrium teli suum bibentis sanguinem Cæsar manu premit. Non erat ut homicidam ultra rogaret quid faceret, qui quid fecisset totus sciebat, ne quidem, erat ut suum quem jam dederat sanguinem, quid vellet rogaret ab illius profluvio tam factus certior. Ignavæ Majestatis est rogare tali rerum cardine quæ rogasse dementis sit: fidem iis non

accommodare, quæ pati non possint ut vel ab alio vel à semetipso decipiatur. Vulnera sua modo si Reges sentirent, nec tam anxie inquirerent in autorem vulnerum, etiam è vestigio intelligerent quibus modis se tueri deberent possentque. Oculos huc illuc circumvolvens Cæsar strictam in se ferri segetem videt, unum se ab omnibus peti: ut vero ferrum vagina eripere Brutum videt, ut ipsum quoque irruere, caput obvolvit, inimicorum se furori præbet. Habet Suetonius, eum Brutum ad facinus accinctum cum videret Semistichion hoc Græci Poetæ protulisse, ϗ σὺ τέκνον. Denuo mirari libet, quod tam sint male provida, tam non sibi convenientia tyrannorum extrema. Eorum qui interficiuntur potissima pars mediam etiam inter cædē hoc illudve ab iis quibus procumbit stimulatur. Quid evenire cuiquam possit deterius immorenti suis peccatis? Erat ipsius filius, (ipse sibi sic se rem habere persuaserat) Marcus Brutus, nec quid in ipso habebat suum quod diceret pollutum præter fructum amoris inconcessi, miraturque jam mortem oppetens, esse inter conjuratos quem per adulterinos & sanguinis non sui natales ipse dehonestaverat: eundem cum videat sentiatque ferentem, etiam filium appellat. Ipse illum acerrime contra se stantem, atque inter prima ad Pharsalum pugnæ momenta, quantum in se esset, protexerat, occidi vetuerat, ne vulneraretur accuraverat, etiam jusso pertinacius si re-

sisteret,

ſiſteret, ut qua vellet dimitterent ad nullam adigendum deditionem, nulli captivitati ſubdendum. Idem Lariſſa fugitivum ad ſe exciverat, excitum ut veniſſet amplexu blando foverat, intercedenti pro Caſſio, vitam fortunaſque Caſſii condonarat: provinciis exinde cum imperio præfecerat, illius an Senatu authoritati præſidium ac robur authoritatis qua cæteris præpolleret accedere voluerat, & miratur quod eis ſocium ſe junxiſſet, quibus ut ſociari poſſet ipſe effectum dederat, miratur iſthuc loci hæc patrantem quod videat in quem ipſe illum Princeps intromiſerit. Attendat ergo Princeps, circum ſe quos habet quinam ſint, quibuſcum conſueſcat ſerio examinet. Eſt hoc totum in manu ipſius, at ſi quæ ab hoc non perpenſo ei ſurgant noxia, tam ea ſibi imputet, quam quod proſpicere ſibi qui potuiſſet, ſe iis revellendis minorem reddiderit. Simul atq; Brutum in ſe infeſtum vidit irruere, omnem protinus ſui tutelam à ſe abdicavit. Quantumcumque ſera nimis, fuit hæc in Cæſare prudentia. Non jam Brutum, non jam creditum ſibi filium ſuum, non ob tot beneficia debendi reum in ſe videt irruentem, ſed omnem quæ diis hominibuſque inviſiſſima ſit ingratitudinem in caput ſuum auſu nefario conjuraſſe. Nemo tam vere dixerit ultimam rerum lineam eſſe mortem quam quidquid vitiis in quibuſcumque ſummum eſt extremumque ab ingratitudine conſummari. Irrita, incaſſa ſint munimina quæ morti quis

oppositum eat, at nec minus evanida & in irritum recisura obsequio, quibus mitigari nedum superari possit istius monstri improbitas. Caput Cæsar veste obnubit. Tantundem à Pompejo factum cum extrema sibi ab Achillà intentari conspicatus jugulum præberet. Factum quoque à Cæsare hoc pro more recepto, cum tunc quoque cum interficerentur gratificari nollent aspectum sui. Comitabatur illum, hactenus omnibus invictum adamantinum illud generosi pectoris robur quo omnes ante se superaverat, nihil observari in moriente voluit, quod non esset dignum moribus Cæsaris, ipsos etiam gestus suos & corporis animam jamjam sibi eviſceratam sentientis exhalantis motus in potestate ut haberet, novissima ei curarum fuit. Ponderat Suetonius, & ante illum Poëta, quod

Tum quoque cum caderet partes velare pudendas
Cura fuit, sanctique decus servare pudoris.

At mihi providum esse ut recte cadas, ut compositè; nec ut quî cadas notari possit circumstantia videtur non tam judicii se vel ad extremum exertantis, quam erroris admissi. Quid hic, togâ quod & pedes texerit! Satius fuerat eum oculos ad pedes ferre, ut omnino ne caderent; quam sinere ut pedes decenter cadere possent. Nulli bono sit tam non profutura solicitudo. A capite ad calcem togæ se suæ involvere, emortualem sibi vestem concinnantis, aptantis est. Totam minuta in ipso mortis articulo attendere

dere nec mortem, aut quæ post mortem sint, animo remetiri, aliquid in se habere quod ad aliquam pietatem referendum sit, quid nisi stulti credamus? Prudentiæ id neque tantillum habet, nec ut habere velit, obtineat. Sapiens hic aut magnus, aut honestus Cæsari videri si voluit, nec aliud quid egit aut assecutus est, quam quod usurpationes suas affectatamque tyrannidem, quibus non una parari debuisset simia, non serpens unus, non culeus, expiasset quidem, sed leviore pœna quam pro meritis.

TEXTUS.

Cæsare ad hunc modum interfecto, Brutus in medium progressus verba facere intendit, Senatumque detinere, & ex dictis confirmare. Verum Senatores metu acti, nullo ordine profugiebant, & apud fores mutuo se trudebant, tumultuabanturque nemine insequente aut urgente.

EXCURSUS.

Nihil tantum dissimulationis secum circumfert, aut illius est capax, quam peccatum: quæ illi nox atra caput circumvolat, quæ finem in quos tendat oculis notari non permittit etiam illis sensus obnubilat qui se ei transscripsere. Imitatur fulgorem lucernæ nocturnæ, oculos quæ turbet & cogat nictare. Pellucidus quidam

est vermiculus, quem si videas, scintillantem stellulam videri tibi credas, proprius ubi accesseris, non nisi vermem videas in obscuro qui luceat, & quem ejus splendorem lux superveniens extinguat. Eosdem illos splendores & Marco Bruto, & omnibus ad unum cum ipso conjuratis statim ab interfecto Cæsare peccatum circumdedit. Fecit hoc, ut invalidam conspirationem coirent, sequaces suppeditavit, locum despexit, ordinem exequendi delineavit, præscripsit, executioni aptavit, horam præstituit, præstitutum Cæsari, Cæsarem præstitutæ admovit, mucrones evaginavit, in inermem direxit, cujus vitam cum sanguine profudere turbationibus animi quæ illos statim ab effuso sanguine manerent suppressis. Nemo faciem peccati contra aspicit, qui non quam vehementissime conturbetur. Subduxit sese id propter illorum oculis peccatum, quos ad tentandum, patrandum facinus videt accinctos. Ubi factum quod jusserat agnoscit, tum vero demum quale est quantumque oculos & mentem subit. Ut voluntatem subeat, nihil præ se fert, quod non se undecumque commendet à bonitate. Etiam tunc cum in deterrima indefrenatos se per impulsus urgere proposuit non alios vultus induit, quam qui sint virtutis. Summum peccatum in Orchestra est Roscius: simul infinita repræsentat, audiri, videri facit: omnia summa ut spectantium, audientium cum voluptate excipiantur curat. Cum tamen omnium eorum

eorum quæ exhibet veri nihil ſit, & nec exiſtat quoq;. Cujuſcumq; hypocriſeos peccatum & pater eſt, & filius ſimul: Ut eſſe poſſit id quod eſt, peccatum videlicet, hypocrita eſt, idem ſimul atque in peccatum evaſit, hypocrita factum eſt. Conjurati ſimul atque exequi deſtinata, Cæſarem ingeſtis undique vulneribus contrucidare ſatagebant, ſic ſunt turbati, ut & alteri alteros ferirent. Hoc habet peccatum quod non malum ſit & vel affine bono, quod nunquam non velit in ipſa peccantum capita recidere ac redundare, quæ aliis inferre voluerint, aut intuliſſe crediderint. Inde manifeſtum, ibi pœnarum eſſe originem, ubi primo peccandi origo deprehenditur. Ipſe mucro ſanguinem homicidæ ſitit citius, quam illius quem peremerit. Verumque ut fatemur, juſtius hunc ab interfectore requirit, quam ab interfecto. Propoſitum erat conjuratis ut irruerent in Cæſarem: at ut exinde ſibi ipſis ipſi irruerent peccatum volebat.

Brutus Senatores turbatus conſpicens, ſeque vulneratum, rationibus illos precibuſque componere, atque ad ſe revocare contendit. Sed, ut cœca ſunt exordia peccatorum, exitus ſurdi; audiri non potuit, Orator quidem, non exorator. Tantus eos horror invaſerat, tanta conſternatio, tantus metus, ut pavidi, attoniti, non amplius ſui, è Senatu prorumperent, alii alios turpiter agentes, ruentes, trudentes, ſternentes ipſo in limine. Unde videre

dere liceat, quam ſubleſtæ ſint, quam ſubdolæ machinationes per quas ſe tollere ac promovere impietas annititur. Hæc ſedes fixura, fabricat ſibi illas undecumque patulas, acceſſu facillimas; ſed revocare gradum exire cupientibus, nullo exitu. Gravi ac multum ſerio ſe infert vultu, occupari credas, & quid quod anxium habeat ac ſuſpenſum animo, voluntate, ſic ad eorum quibus ſe ſociat curis reſpondens, triſtioribus paulatim demovet, præſentaneum mali levamen, preſſisque mentibus ſperata ſolatio oſtentat; at totum ubi hominem occupavit, quos animo volvit deſideriorum improborum fluctus ſic eglomerat, ut obruat & à ſuper incumbentibus oppreſſum demergat. Ipſo ſæpe quis in illorum quæ occeptat exordio incidit in peccatum: at cum ipſum in hominem peccatum incidit, attinet illum omni regrediendi, ad ſe redeundi facultate præciſa. Quos peti, premi, lædi citra ullam ſuam noxam ab aliis ſic contigit, nulla magis arma tutantur, quam illa per quæ petiti læſique fuerunt ab invadentibus. Qui Cæſarem ideo interfecerunt, ut interficerent, per mutua vulnera ſibi pœnas dedere: alter alterum ſubverterunt, Cæſaris manibus ſtatim ab ipſa illius nece principium facientibus, ipſos in ſe ac ſua viſcera convertendi.

TEX-

TEXTUS.

Servatus à Bruto Antonius, ista in trepidatione Plebejo amictu tectus fugit. Brutus autem & Socii ad Capitolium ibant, cruentis manibus strictos gladios ostentantes, ad libertatemque cives vocabant. Conclamatim initio passim est, discursumque varie, eaque fortuita trepidatio tumultum auxit: ut verò neque cœdem alia neque direptio vel minima subsecuta est, animo recepto, & Senatores & de plebe multi ad eos in arcem ascenderunt. Multitudine congregata Brutus quæ ad conciliandos populi animos faceret orationem, reique gestæ convenientem habuit.

EXCURSUS.

Grave crimen est hominem occidere: at vero etiam Regem detestandæ est impietatis. Proditor est non ille modo, qui improbas ei manus injicit, sed etiam qui irreverenter habet, deque ipsius actionibus inclementer judicat. Qui Regum est bonus, amari illum oportet; qui malus tolerari. Consentit in Tyrannos Deus cum possit punire, cum de solio detrudere. Idne ut neget subditus cui idem Deus nihil relictum voluit præter nudam obsequii gloriam? Apage. Non indiget mucronibus nostris Deus ut in ordinem cogat, non manibus, ut vindictam suam exigat.

Fugiebant in Capitolium hi homicidæ, sic suæ securitati prospecturi: at ipsis Capitolium subeuntibus, subit

una cum ipsis quod admiserant nefas; & quæ scelerum prosequitur pœnas prosequitur Nemesis. Sanguis ille Cæsaris qui manus illorum etiamnum cruentabat, atque imis ebullire venis nondum desierat, admissam accusabat proditionem. Populum exinde (bonum quo sibi nomen circumdarent) ad pileum vocarunt, libertatem, libertatem inclamantes. Ipsum libertatis nomen placido modulamine aures multitudinis semper permulsit. Marcus Brutus ut ex vultibus circumstantium conjecturam fecit, esse eos pro re sat bene animatos, & ad ea quæ dicere vellet attentos futuros, qua erat animi præsentia sic fere dixit.

ORATIO PRIMA BRUTI.

Hac, Cives, interemptus manu Julius Cæsar jacet. Vobis libertatem vestram qui eripuerat, ei vitam eripuit M. Brutus. In liberam Rempublicam tyrannidem inducere si crimen fuit, Virtutis sit meæ libertatem vobis ereptam reddidisse. Medio Senatui ei mortem intuli qui Senatui mortem intentabat, si non & intulerat. Cecidit inter Senatorias manus. Quæ pœnas ab eo exegit armaturum in tyrannos legum sententia fuit, per has manus executioni mandata. Jure cœsus cum fuerit, homicidam nec facere potuit, nec invenit. Nullum illo cœso crimen, ni quid ne arbitramini incidisse in ullum. Id si præsumerem hoc loco non starem, qui vos de me non coactus judices fero.

Ex-

Exceptæ Viri voces largo cum applausu: rogabant omnes ad se ut descenderet; toto se civitati præberet videndum laudibus altior qui esset. Ab his, populo Brutus se commisit, & ad Rostra comitantibus illis perrexit. Ut & hic prægrandem confluxisse multitudinem vidit, hæc aut his non absimilia locutus est.

ORATIO BRUTI ALTERA.

Bella, Cives, plusquam civilia vos ex sociis subditos Cæsari fecere. Dedit cruentam etiamnum quam videtis dextera; è subditis cives, è servis liberi ut essetis, & commilitones. Dat vobis eandem hodie libertatem cœso Cæsare, Marcus Brutus, quam Junius (ad quem genus ac nomen refero) majoribus nostris Brutus dedit dejecto Superbo. Gratias qui nec peto nec aucupor; sat habeo si sciscatis FACTUM BONUM. Nunquam me sibi inimicum habuit Cæsar. Sum quæ designabat aversatus. Tam vero ei & acceptus fui, ut nisi quid eo me nomine quod mea manu cecidisset locarem inter fidissimos patriæ cives, essem in patriam ingratissimus. Ad pulcherrimum hoc meum institutum vel ut quo tenderet nosse possent, aut ambitio aut invidia nunquam se penetrarunt, nedum ut in ullas ejus partes venerint. Dignissimus fuit Cæsar cui ob nobilitatem generis, fortitudinem, scientiam rei militaris, in literis excellentiam Populus Romanus quæ hono-

rum quæ dignitatum essent optima maxima conferret. Cædi tamen vel hoc promeritus quod ea sibi rapere quã à vobis expectare maluerit, quam mereri, si vel fuisse etiam in vos quidquid ex illis arripuisset effusurus. Ne tum quidem cum libertati eam vestræ immolarem, lachrymis hæ genæ caruerunt. Illachrimatus sum fidei, sum obsequio, quæ vobis cum deberi nosset, ipse in se extincta voluerat. Vitæ quod tulit dispendium non deploro; tantam animam, tam tristia in se fata suam per noxam traxisse, id vero dolet. Patrem meum Pompejus si non occiderat, autor fuerat ut occideretur. Exosum ergo habui ut parricidam: animos iramque posui, cum pro vestra, Cives, libertate contra Cæsarem stetit armatus. Miles sub ipso eandem ad Pharsalum cum ipso fortunam excepi. E fuga revocatum ut me Cæsar, arcte complexus est, etiam ornavit, inter sibi præcipuos habuit.

Ignorare hæc vos nolim, quo sciatis nec injurias illas Pompeji id apud me potuisse ut me à communi vestra Reipublicæque sorte segregarem, neque beneficia Cæsaris, ut ipsum calcantem libertatem nostram omne imperium ad se trahentem tolerandum censerem. Commune Reip. infortunium mors est Pompeji. Patriæ non nisi in ruinam Cæsar superfuit. Quod merebatur per me nactus est. Hic si deliquisse putatis, deliquisse fatebor vel invita veritate, si beneficium dedisse, quid dederim modestè repræ-

repræſentantem auditis. Qui prius in meam quam in Cæſaris mortem conſenſi, mortem pro patria non recuſo. Eſtis coram, ſum in manibns veſtris. Qui me libertate, quam ut denuo conſequerimini feci, indignum putat, ferro transverberet. Duplicabit honores noſtros tyrannus interfectus. At vulnera vos occiſi movent! Vos veſtroſque reſpicite. Animis veſtris commiſſos cum patribus filios, fratres à fatribus mactatos remetimini, enſes adactos per tot cognata pectora ſanguine veſtro etiamnum calentes campos inhumatis albentes oſſibus, & quæ plura horror eſt meminiſſe vobis proponite. Ne vos opprimeret Cæſar adnixſus ſum, impedire qua potui objeci me, cum pertenderet, nec ſiſtere plus ego poſſem, tuli de medio. Si vos crimini hominem interfectum imputatis, imputabit ſe vobis beneficium quod dedi, tyranno veſtris cervicibus depulſo. Si puniendus videor; nec abſolvi poſco, ſi prœmium meruiſſe, quidquid merui vobis largior, veſtrum eſt.

Mirum in modum oratio hæc animos multitudinis affecit. Pari fervore ab indignatione & ira ad habendas gratias & aggerendas laudes tranſiit. Dicitur Patriæ pater Brutus, ipſi ſociiſque ſtatuas decernuntur.

TEXTUS.

Tranquille omnes audierunt. Non fuiſſe tamen omnibus gratam Cæſaris necem oſtendit multitudo, quæ Cinnam dicere & accuſare

cusare Cæsarem orsum, in iram prolapsa apertam maledictis incessere cœpit. Itaque percussores Cæsaris, rursus in arcem se contulerunt. Ibi Brutus obsidionem metuens præstantissimos eorum qui una arcem conscenderant à se demisit: indignum existimans, eos qui facinoris participes non fuissent, idem subire periculum.

EXCURSUS.

Nihil unquam negotiorum quod omnes concernit ab omnibus probatur. Ubicumque permixtim coëunt boni malique, tam necessarius est illorum inter se dissensus, quam impossibile est ut ipsis nusquam disconveniat. Quæcumque victoriæ lubido est, & vecors semper & violenta, dum superat pars major, vincit numerus, ratio insuper habetur. Habent hoc populi convocationes, ad primas acclamationes accurritur, præjudiciis suis accedunt ad ea quæ primum imbiberunt: cedunt occupanti: accusator apud illos est sui se quisquis excusare nititur.

Brutum dicentem omnes sedatè audierant, & qui non approbarent. De interfecto modeste loquebatur, dum opprobriis parcit memoriam illius reverenter habere visus. Quos à Cæsaris partibus futuros fuisse verosimile, stabant suppressis quibuscumque partium studiis taciti, atque adeo addebant se Brutum secutis. At enim maledictis in fato functum desævire Cæsarem occœptante Cinnâ non se tenuerunt. Erat Cinna, recte cum inspiceres, nullius pretii homo: virtutum, quos fors nec de nomine

norat

norat ſimulator in ſpeciem ſummus, cætera ventoſus, & quoties dabatur fraudulentus, cui amor eſſet & ſtudium, ut improbos inter cũ eſſet aſſiduus, improbitate nemini eſſet inferior: tam profligati pudoris, quam famæ incurioſus, & cum magnifice virtutem ſpirantia creparet. Nihil uſquam tam turpe aut infame, quod pro tali haberet: totius depuduerat. Forenſis rabula, tam in bonos quam in malos caninam facundiam citra diſcrimen aſperabat, nullo rerum in proſpera aut adverſa fluentium reſpectu, nullo in utramlibet partem ſenſu, modo unctior rediret. Iniquus bonis, quo ne iis ſimilem ſe ferret: improbis ac ſceleratis æquus, à noxa ſibi quo caveret. Homo nullius animi. Simultates in mortem, in exterminum durabat, nullâ quoque de cauſa, quam quod odiſſet. Tales omnis ætas mortales dedit, neque dubitandum quin & porro ſit datura; ſciſcente forſan numine, ut ipſi rectores rerum ſic diſcant, alios illos fuiſſe futuros, ſui ſiquidem ipſi quod eſſet muneris impleviſſent, ſaltem æquaſſent, aut hoc ut aſſequerentur, quamcunque operam navaſſent.

Defunctos amicos honorare pium eſt: inimicos non ſolum pium, ſed etiam honeſtum. Vilis ſe animi probat, qui vel mortuum quem habuerat inimicum ſuſpicionibus ſcævis, dictis in læſura abeuntibus, quomodocumque calumniis convulnerari ſe præſente ſuſtinet: Neque enim aliud obtinet, quam ut depreſſiores ejici quem inimicum

cum habuerit res fuisse, suos superasse, palam faciat: ac superasse se quidem; sed nec fortiter; cum etiam quid in adversario virtutis fuerit, post mortem illius non citra maliciam improbus tectum velit, & cum illo consepultum. Vicerit esto, sed nec palmas ignave tendentem dixerit, aut pavide excepturum jugulo quod præbere ardorum fors fortuna coegerat victoris ferrum. Victos ob inimicos qui lætantur, se animi exigui ac minuti demonstrant. Qui obtentâ victoriâ applausus victores excipiunt, quantus fuerit ne vincerentur metus repræsentant: Vinci potuisse toti fatentur, ac neque fuisse unquam ac vel post victoriam synceram, partibus omnibus consummatissimam animis excussa illa quæ secum trahat quidquid est infausti, VÆ VICTIS.

Contrucidatum Cæsarem ne ad se quidem P. R. pertinere qui duceret, opprobriis post mortem ingestis male habere volentem non tulit: laudandus in illo certe, quod etiam illa quæ jure dici possent alterius honorem læsura, nollent ab illo proferri, qui cum esset ipse impurissimus; spem locaturus erat in illo assensu qem à se suppeditatum deprehenderet. Est ut ad Dei nostri prudentiam, nobis quacumque inperscrutabilem stupeamus venerabundi. Voluit in P. R. livorem post fata Cæsaris quiescere quem paverant dum viveret, etiam qui vivo debiti fuissent, cum ut honores tuerentur Cæsar vel interfectus voluit.

Ex-

Exterminium sacro sancto Dei bene placito Cæsar qui debet, eidem debet quod inultum mori noluerit. Quin imo ut ipsa quæ ingererentur ei opprobria sic retorquerentur in ingerentes, ut suis ipsi telis percussi, in quæ impegissent edocerentur.

TEXTUS.

Verum postridie Senatu in Æde Telluris habito, cum Antonius, Plancus & Cicero de obruendis oblivione injuriis & concordia redintegranda sententias tulissent, decretum est non modo impunitatem conspirationibus istis dandarum, sed & Consules de honoribus istis habendis debere referre. Atque hoc facto S. C^o decessum est. Antonius filium suum obsidis loco in Capitolium misit: itaque Brutus cum sociis descenderunt, omnibusque inter se permixtis, consulutationes benignæ factæ. Caßium Antonius, Brutum Lepidus, reliquos alii ut quisque erat amicitia alteri junctus, convivio exceperunt. Postridie primâ luce in Senatum conventum est: Ibi Antonio primo omnium honores decreti, qui initia belli civilis sustulisset: laudatus deinde Brutus & socii, iisque aßignatæ provinciæ, Bruto Creta, Caßio Africa, Trebonio Asia, Cimbro Bithynia, Decio Bruto Albino Gallia quæ est ad Padum.

EXCURSUS.

Quem non offendat, præ Senatu, populum principi fuisse benigniorem? Quem non principum hoc tantum erudiat exemplum, quod ipsis quoque minatur, nisi

doceri se vel sic patiantur, patientes culturæ tantæ aures accommodent? Qui in Cæsarem coïerant, non fuere nisi principium ut occideretur interfectoribus, qui tanta præmia decernenda judicarunt, ii demum vero Cæsarem contrucidarunt. Injuria affici etiam defunctum vel plebs nolebat, dum interim qui interfecissent quibus non honoribus à Senatu ornarentur, distributis in singulos quibus cum imperio præessent provinciis. Romanorum Imperatorum in mortes inquirenti nihil tam obvium, quam aut ab ipso senatu profectas, aut à conscio, ac quacumque non aversante. Sacrum quid habent leges, ipsæ per se res sacra, eas omnes ut teneant, apprime necesse est. Quæ recta principibus sufficiuntur consilia, etiam quid habent quod patrem repræsentet. Eadem nec raro degenerant, dum qui dant consilia, iis, quibus consulunt sese potiores putant, quibus consilium datur, non minus iis se sapere se qui consulunt credentibus. Vitricum se hic Senatus exhibuit non patrem: versis ad principem oculis pervidit, egressurum ipsum potentia sua, ipsi quidquid possent, nec alium interim plus posse quid vellent quam possent ipsi. Atque hinc quidem rerum illæ tum lachrymæ. Non subditum sibi Cæsarem desiderabant, sed eam in quam se extulisset eversam magnitudinem: id vero sibi ut in facili esset, jus esse ac debere, apud se statuebant. Plancus, Antonius, Cicero cum suscitari è mortuis

tuis Cæsarem non posse nossent, nec minus scirent in illius necem consensisse senatum, prudenter ei sibi sententiæ accedendum censuerunt, quæ jure cœsum decerneret: sic suum simul Senatum facturi, & quæ à conjuraratis ultra timere possent amolituri. Quod per decretas ipsis Provincias obtentum. Facile fuit à Senatu ut impetrarent esse è Repub. sic fieri. Quid enim tam proclive, quam ad decernendos cuipiam honores illum habere assentientem qui eorundem ipsemet participem fore se sperat aut agnoscit? Mortuum non luget hæres: nullus interfectum ulciscendum sibi credit, cujus ab eo interfecto spes atque ambitio in celsiora attolluntur. Hoc ipsum quod interemptus quascumque illorum spes promoveat, sic fieri debuisse perviunt.

Statuebat Cicero Cæsaris hæredi faveri debere, sibi interim consulere se debere sciscente Antonio, in rerum transitus magnis conatibus, præsertim si quà ad vim & arma res spectent, opportunos, unicè intento. Deflectunt interim & hic & ille ab iis quæ sibi proposuerant, ut eorundem data occasione compotes fieri citra incommodum possent. Transeunt in conjuratorum partes, quos tamen velint supplicio subdi. Quæ agitarent per dissimulationem tegunt, euntes interim in applausus publicos; certi lacertos non intendere contra torrentem, & quà rebus sic ferentibus se temperare, quà tempori. Quod

ipſum quæ quantaque iſto rerum cardine aut veheret, aut ſecum vecturum eſſet, lucidô non deſpicerent, & hoc ipſum in quo recte ſibi utrumque conveniret altè diſſimulabant.

Provincias ſtatim inter ſe diviſerunt. At non fuit hoc aliud quam ipſam inter ſe tyrannidem partiri; cujus ſe fuiſſe averruncos ob eam affectatam interempto Cæſare, videri volebant. Non ſuſtuliſſe proinde tyrannidem dicendi, quam in aliam mutaſſe. Non eſt ut facile quem vitæ ſecurum reddas, qui ſcit plurimis mortem ſuam ponendam in lucro. Non ſunt è longinquo petenda exempla. Simulatque filii norunt ſe eſſe non exhæredes, contra cum ſciunt hæreditatem creturos, non tam recordantur patri debere ſe quod ſint qui poſſint hæreditatem paternam cernere, quam quod eum longius vivendo pater diſtineat. Hæc inter quî metus ceſſet etiam ante diem patrios in annos filium inquiſiturum?

Acceperat plura Brutus à Cæſare Cretâ ei aſſignatâ, quam ab eo ſublato ſperare potuiſſet. Sed quæ ſunt humanarum rerum ludribrio, vanitates quoque ſuas habet proditio. Fieri ſic id acceptius videmus, furto quod ſuum ſe feciſſe æſtimat, quam quod munificentiæ alicujus deberi fateri cogatur. Quæ quidquid è republica ſperari poſſit ſibi deſtinat cupido, ea demum eſt, quæ prima eſt Reipublicæ expilatrix, dum ſic ſe tegit ut nihil ex publico

se desiderare credi vult, ipsa interim si qua detur, nihil ei relictura quod non interverterit: & ab omnibus interversis integritatem quoque suam probatura quæ nihil è publico sibi decerni postulaverit. Omnia ad se trahendi facultatem omnibus ambitiosis, avaris nihil æque sufficit, quam si nihil esse quod desiderent aut petere quod velint, aliis possit persuaderi. Si quà præsertim talia sint, ut ea cum sibimetipsis dare ea non possint, nec ab illo qui dandi, qui concedendi potestatem habeat nunquam petiisse possint credi. Hæc te vera fatalis illa machina, quæ principum, quæ Rerumpub. muros scandit in altum ubi evaserit

Despectura domos venturaque desuper Orbi.

TEXTUS.

Secundum hæc de testamento & sepultura Cæsaris proposita quæstione, cum Antonius recitari testamentum, & funus ejus neque obscurum neque sine ornamentis esse vellet, ne scilicet populus irritaretur; Cassius magnopere contra contendit: Brutus contra concessit: idque secundum ejus peccatum fuisse videtur: quippe Antonio parcens, culpatus est, quod contra suam conspirationem gravem atque expugnatu difficilem hostem constituisset: & passus quo modo volebat Antonius Cæsarē sepeliri, totam suam caussam perdidit. Primò enim, cum testamento Romanus viritim trecenti sestertii, populoque horti trans Tiberim (quo loco nunc fortunæ est fanum) legarentur, mirum Cæsaris desiderium amorque populum incessit. Deinde, cadavere in forum allato, Antonius pro more orationem in laudes defuncti reci-

tans, cum videret animos multitudinis ea motos, ad misericordiam excitandam se convertit, Cæsarisque cruentatam vestem arripiens, explicuit vulnera, ictuumque magnitudinem ostendens. Nihil exinde ordine atque modeste agi vidisses. Illico pars clamare necandos esse parricidas, pars ex tabernis (quod ante in funere Clodii tribuni plebis factum fuerat) subsellia ac mensas avulsas comportare, & ingentem rogum extruere, & cadaver imponere, in medio multorum sacrorum, inviolatorum ac minime profanorum locorum; deinde rogum accendere. Postquam ignis effulsit, alius aliunde accurrere, torrem semiustum rapere, ita ad ædes percussorum discurrere, & incendium eis intentare. Sed hi mature se præmunierant, & periculum propulsabant.

EXCURSUS.

Quam devexa sit ad alia atque alia arripienda populi voluntas, consilia ejusdem totiens totiensque à se discrepantia plus satis ostendunt. Suis ipse se vestimentis spoliat, quia volupe ipsi videri ideo suas sibi vestes circomposuisse, ut haberet quas ad libitum exueret. Securi jam agebant conjurati. Senatus non modo FACTUM BONUM sciverat, sed sua quoque sibi quisque præmia tulerat; cum Antonius edoctus quibus argumentis sua in Cæsarem quæ patrassent pro justis atque legitimis haberi voluisset, duo admodum speciosa & quæ reprobari non debere aut posse viderentur, proponenda sibi duxit, nempe ut publice legeretur Cæsaris testamentum, & ne citra ulla funebrium solemnia cadaver humo mandaretur. Acerrimum se Antonio contra-

tradictorem Cassius præbuit, ut qui interficiendum quoq; censuisset, & quæ ille censeret neq; Reipublicæ profutura judicarit, neque satis honeste proponi. Gnarus videlicet non tam recte & tuto quæ scelerum magna sunt, excusari, quam oculis ea atque auribus subducuntur majoribus admissis obtecta. Gnarus itidem pœnis eum se præsentaneis subdere, qui ad ea quæ commiserit providam ac deliberatam sementem attulisse videri velit, quas ille à se removeat, qui quod admissum est ad ea refert, quæ vel fortuita sint, aut in impulsus utcumq; temerarios transcripta, nihil aut minimum habent deliberati. Errare porro illos non leviter qui ab ulla virtute præsidium petant, quæ male patrarint excusaturi: suam in se condemnationem lacessere, qui in judicem consentiant: vitiis cum vitiis fraternum in modum convenire, virtutum vero ad hoc obtinendum ac vitiorum non ea esse commertia, quæ vel spe præsumere, nec fas sit vel tantillum sapienti. Brutus ex adverso sententiam Antonii admittendam, eique utut justæ piæque deferendum esse nitebatur, eam esse statuens, cui intercedere vellent atrociora in se odia forent concitaturi, quod nec esset ex re ipsorum. Verum est, eos qui quæ non recte facta videri volunt, quæq; Viris bonis sic proponi ac si paratiam & à se stantem virtutum aliquam haberent, id potissimum anniti, ut ipsam illam virtutem profanent, & de virtute in scelus detorqueant.

Lege-

Legebatur alta voce testamentum, quo trecenti viritim sestertii Romanis legabantur, Octavio ac Marco Bruto, primis illo, hoc secundis tabulis hæredibus institutis.

Summa in magnatibus virtus magnificentia & liberalitas, apud populum utique, qui non libertatem suam sæpenumero liberalitati dominantis substernit, sed vel ex injusto ac tyrannno pro vero principe habet, etiam justissimum minus amaturus, si sit ad rem attentior.

Justitia, Clementia, Fortitudo, Honestas, Temperantia, non sunt virtutes quas admodum populus laudet: Quamplurimorum ex populo invidia, vindictæ cupido, mali mores velint, sibi quo placeatur, atque aliorum intuitu principem esse vel crudelem, nec honestatis nimiam habere curam, aut timidum quoque, sic rati eorum quæ sperent tutius se posse fieri compotes, ac plus quoque liciturum etiamsi vel minus id justum sit quod licere velint. Liberalitatem cum ad omnes ea redundare possit, laudant pro se quisque boni, ut præmium virtutis: mali, quod sibi sic gaudeant satisfieri. Nihil intempestive Princeps liberalis modo sit, aggrediatur, bonus si sit hac laude magnus audit, si malus agit, excusatur, si qua culpari meretur, etiam absolvitur dum vivit, criminibus vel immortuum, non satis lachrymis prosequuntur. Justo fortique si alter æque justus fortisve successerit, non ob hoc alio loco quam quo prædecessor habebitur. Secus si liberalis sit.

Huic

Huic amorem conciliat, cùm quod ſentiant ſe per illius liberalitatem allevandos, tùm & memoria eorum, quæ ſibi à prioribus grata contigerint; unde & ſpes ſuas, & cum ſpe benevolentiam prorogant in futurum.

Sciebat Antonius, ut qui ex intimis Cæſaris fuiſſet, hæc contineri; ideoque publice ut legeretur perurgebat: quod factum quoque. Prævidebat, populum tanta Cæſaris beneficiorum memoria ſubeunte, & in ea quæ penitiorum affectuum ſunt inſinuante, mutatis animis ſtudiiſq; ad ipſos de medio tollendos conjuratos convolaturum. Nec falſus hic vates fuit. Vixdum ultima quæ erant eulogii audiendo perceperant, vidiſſes protinus, nulla decori, nulla ordinis ultra ratione, bacchantium cæritorumque ad modum in conjuratos non alia, quam ſanguinem, cædem, exterminium ſpirantia totis eructantes pectoribus: tantum ipſis dolorem penitiſſimis in præcordiis deſævire, ut fulminis ad inſtar præceps omnia impulſuris, ac non niſi per obſtantium ruinas ſiſtendi apparerent. Imperium Neroni ſuo Agripina cum aſſertum vellet, eaque de cauſa, Xenophonte conſcio, venenum ſuo Claudio propinaſſet, illius teſtamentum vulgari noluit, hac ſane parte conjuratis prudentior.

Summa cum pompa, & quæ tanto funeris majeſtati reſponderet elatum cadaver, deductum fuit per forum, inibi cremandum pro recepto illis temporibus more, quibus

potius visum corpora flammis depascenda permitti, quam humo condita in putredinem solvi.

Post absoluta ministeriorum tristia, & rogo imposito cadavere, his similia dixisse Antonius credi possit.

ORATIO ANTONII FUNEBRIS.

Verba, Cives, de Cæsare fieri ad vos necesse non est: cadaver illius intuemini. Quot quantisque vulneribus saucium pectus animam emiserit, doceant vos oculi vestri, nihil hic opus mea voce. Tot voces aures vestras verberant, quot vulnera non sponte erumpenti animæ viam fecere. Illas admovete, sodes, ipsa supra sydera se planctus attollent. Tantis egerendis doloribus impar vox & me languentem destituit. In Heroem, heu quondam nostrum! præter summas virtutes, invidiam nihil concitavit. Illæ & spectatißimæ, & majores fuere, quam quæ vel per imitationem exprimi possent. Tum vero tanta Fortitudo, ut omnibus dum vixit inaccessus periculis, non nisi eorum sceleri, qui omnia ei deberent, ipsi proximi, necessarii, quoquo modo junctißimi essent, procumbere potuerit. Tenetis & vos, non aliter cecidisse quam per ipsorum scelus. Quantam in armis justitiam explicuerit & Deos testes ciere mihi fas est, qui illa secundarunt, qui ipsum & bellis & bellorum omnium victorem nunquam non voluerunt. Nihil ab illo cordate, fortiter designatum, quod non honori vestro famulaverit, cesserit. Est per ipsum æterna hæc urbs nostra, Terrarum gentiumque Dea, Mundi caput. Cæsarem qui contrucidarunt, victor si fuisset Cæsaris, ipsum Pompejus etiam Pompejum de vita deturbassent. Fuit tam dira sors subeunda Cæsari, quia Pompejum vicit. Illi victo decretæ statuæ, huic impacta parricidialibus mucronibus vulnera, per totum exacta corpus bene de vobis omnibus meritorum in redhostimentum cessere. Libertatem nostram quam caste tractarit nostis & vos, qui scitis nihil eum unquam in illam attentando, novando, peccasse. Vidit, asperius quam par foret, quam vellet, Patres eam tractare: emolliri id

qui crederet posse, moderatiorum consiliorum, semper, & qua potuit, author fuit. Quare nec ut tyrannus occumbere potuit, qui noluit vos à pluribus tyrannis lancinari. Heri occisus est. Hodie parricidæ provincias sunt partiti. Vobis eæ vectigales ut essent fecerat, easdem qui nunc illum admodum suas fecere, interfecto Cæsare, tam de vobis, quam de eo quem mactarunt, agunt triumphos. At, Dii boni! quomodo usurpare vestra, in illa involare, vobis spoliatis sibi vestra privatim habere voluit; qui vivus etiamnum quod tabulæ (audivistis cives) loquuntur, omnia voluit esse vestra, quæ sua fuissent. Si vox ei rediret, in quot vulnera fœde discissum corpus cernitur, totidem voces, totidem ora sonarent, ipsis suis sicariis (tamen eum tenuit amor vestri) grates actura, quod citius ad vos ipsorum beneficio nunc deveniant, quæ forsan longius vivendo detinuisset. Estis hæredes Cæsaris, tenetis quidquid illius fuit. Iuxta & cadaver illius, & qui ut cadaver esset effecere, in manibus vestris sunt. Ite, flammis rogum permittite: sentiant illius manes justa sibi facta. Quocumque modo flammis in pabulum cedat, quod à morte superfuit. Ipsi porro quid à vobis illius manes exigant attendite, tum & statuite, quid faciundum vobis restet.

Nec hic sibi subsistendum ratus Antonius laceram crudeliter & tot perfossam ictibus, aspectuque & ob id horrendam vestem interfecti explicans, eamque omnibus ostentans,

En, inquit, cives illam, illam togam, quæ tegere ultra dominum cum non possit, ictibus parricidialibus perforandam se dedit: illa vobis admissi parricidii est index, illa tanti sceleris testis, eadem quantumcumque muta, concitata, ad ultionem Cæsare vobisque dignam vos vocat. Potuit illa incolumi Iove & urbe Roma inundari tanti sanguinis profluvio: at vos cavete, ne posteri dixerint, maculasse vos conterminam Cœlis Romani nominis gloriam, qui hæc tam dira sufferre potueritis, qui inulta transmittere.

Nondum finierat cum in furias actu proruere, pars subsellia è foro, pars mensas & cancellos ad cadaver cremandum accumulare, quævis deripere, nihil non, obviũ modo esset, facere doloris furorisq; argumentum. Facibus, semiustis titionibus, nonnulli quoq; ad conjuratorum ædes ipsas incensuri se contulere, à quibus tamen ignis prohibitus.

Est & ut hic summam divini numinis justitiam unusquisque videat. Voluit hæc, ut eidem flammæ quæ Cæsaris cadaver absumeret, suus usus esset ad domos conjuratorum incendendas. Justitiam clementiamque illius, rapti à rogo torres explicuere. Ipsos quin imo dicas titiones hos, aliquo modo pios, quod justa Cæsari fecerunt, justos, quod in ultionem exarserunt per scelus interempti. Notasse suffecerit nunquam tanta Impietatem adversum quempiam incendia concitasse, quin eadem in se verterit, ipsis vel ignibus quos ipsamet accenderat depascenda.

TEXTUS.

Hoc facto, metus præsertim Bruto injectus est. Itaq; urbem egressus Antii primum moratus est: rediturus in urbem ubi populus irâ deferbuisset: Id quod facile futurum sperabat, multitudine celeri & inconstanti impetu lata, cum & Senatum ipse benevolum haberet, qui valere jussis Cinnæ interfectoribus, eos qui ad conjuratorum domos vim inferendi caussa concurrerant, indagabat atque comprehendebat. Jam & populus, Antonium prope regnum instituentem mole-

ste

ste ferens, Brutum desiderabat, videbaturq; ipse præsens ludos quos ob præturam debebat, editurus. Sed cum sentiret multos eorum qui sub Cæsare stipendia fecerant insidias sibi struere, & sensim Romam intrare, venire non est ausus.

Hoc rerum statu alia mutatio adventu junioris Cæsaris accidit. Is natus erat filia sorore C. Julii Cæsaris, & ab hoc testamento filius hæresque institutus, quo tempore is occisus est, Appolloniæ literis operam dabat, illum, qui mox in Parrhos expeditionem facere decreverat, ibi operiens. Audita patris nece statim Romam se contulit, Cæsarisq; nomine ad studia populi sibi concilianda usus, & pecuniam ab eo legatam civibus largitus, factione sua Antonium superavit, ac pecuniæ divisione multos eorum qui sub Cæsare militaverant contraxit. sibique adjunxit. Cum autem Cicero ob odium in Antonium Cæsaris partes foveret, acriter eum Brutus per Epistolam objurgat. Non tibi, inquit, dominum ferre molestum est, sed dominum infestum metuis, namque eo spectant tua consilia, ut lenem ac clementem servitutem feras: huc enim facit quod scribis Cæsarem esse bonum. At verò majores nostri, ne mites quidem dominos sustinuere. Mihi in præsentia neque bellum gerere constitutum est certò, neque quiescere, unum firmiter decrevi, non servire. Te autem miror, qui cum bellum civile & periculosum metuas, turpem & ignominiosam pacem non times; & pro exturbata tyrannide ab Antonio id mercedis postulas. Hujusmodi in primis Epistolis fuit Brutus. Jam vero, aliis ad Cæsarem, aliis ad Antonium discedentibus, & exercitibus velut sub præcone prostantibus, atque ei

 qui

qui plus dedisset se adjungentibus, desperatis plane rebus Italia excedere statuit, pedestrique itinere per Lucaniam per mare Eleam venit.

EXCURSUS.

Eousque etiamnum male fausta sunt cum hominibus malis consortia, ut vel in partem mali subinde veniat commune cum illis nomen habuisse. Idem & in diversam partem de bonis esto dictum. Summus Cæsaris amicus Cinna poëta, quia commune habuit cognomen cum illo Cinna qui interfectum Cæsarem calumniis incessere incœperat, à populo in furorem acto fœdissime discerptus interiit. Octavius Julii nomine assumto, Pop. Rom. studiaque illius & arma totamque Civitatem ad se adtraxit. Constanter & vel ad pertinaciam Senatus conjuratos tutabatur, namque eos qui sic innocentem Cinnam letho dederant supplicio affecit, inque eos acerrime perquiri fecit qui torribus à rogo raptis ad incendendas conjuratorum ædes concurrerant. Qui Senatus favor, etiam ipsorum conjuratorum fiduciæ mox imposuit: fluxus quippe, & ab adventu Octavii evanescens, quem & timendum sibi videbat præsertim cum authoritate quoque Ciceronis suffultus esset, Brutus alio ei sese modo opponere cum non posset has ad Ciceronem literas dedit.

Nunc, Cicero, nunc agendum est ne frustra oppressum esse Antonium, gavisi simus, non semper primi cujusque mali

mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo pejus. Nihil jam neque opinantibus aut patientibus nobis adversi evenire potest, in quo non cum omnium culpa, tum tua præcipue futura sit, cujus tantam autoritatem Senatus & Pop. Rom. non solum esse patitur, sed etiam esse cupit, quanti maxima in libera civitate unius esse potest, quam Tu non solum bene sentiendo, sed etiam prudenter tueri debes. Prudentia porro quæ ubi superest nulla abs te desideratut, nisi modus in tribuendis honoribus. Alia omnia sic abunde adsunt ut comparari possint cum quolibet antiquorum tuæ virtutes. Unum hoc grato animo liberalique profectum cautiorem ac moderatiorem liberalitatem desiderat. Nihil enim Senatus cuiquam dare debet, quod male cogitantibns exemplo aut præsidio sit. Itaque timeo de Consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet decretis tuis, si Consul factus sit descensurus. Quod si Antonius ab alio relictum Regni instrumentum occasionem regnandi habuit, quonam animo fore putas, si quis authore non tyranno interfecto, sed ipso Senatu putat se imperia quælibet concupiscere posse? Quare tum & fœlicitatem & prudentiam laudabo tuam, cum exploratum habere cœpero Cæsarem honoribus quos acceperit extraordinariis fuïsse contentum. Alienæ igitur inquies culpæ me reum facies? Prorsus alienæ si provideri potuit ne existeret. Quo utinam inspectare possis

possis timorem de illo meum. His literis scriptis te consulem factum audivimus. Tum vero incipiam proponere mihi, Rempublicam justam, & suis nitentem viribus, si isthuc videro.

Atq; hæc quidem ipsius Bruti sunt quæ descripsimus. Sic autem quem latinitate donamus, Quævedo vult scripsisse.

Compertum mihi, Te quo tyrannidi quam M. Antonius affectat, te opponas, eandem Octavio quem Cæsar adoptavit procurare. Id vero, mi Cicero, non est tyranno se opponere, sed tyrannum facere. Ab imperio nullus tibi imperantem qui timeas, est metus. Dominatum Antonii quia detestaris, ei contra stas: non quia dominum non feras. Pejoris exempli est, hæc Octavio deferri, quam vel Antonio relinqui: pejora quippe sunt cum hæreditaria fiant, & in legitima per successiones continuatas transmittuntur, quam cum à vi ac violentia principium habent. Quorum illud, suo se post titulo tueatur, atque eat in vim constituti: hoc, nunquam sine crimine est. Si te virtutes Octavii movent, si quod bonum eum dices; tenes, majores nostros nec mitiores, quoque dominos potuisse tolerare. Timeo ne iisdem moribus imperium sic admoderaturus, per quos se tibi probat, & dignus videtur qui imperet, neque minus sub bono Imperatore nostra libertas pereat, quam sub malo. Quo tibi ullæ ad excludendum Antonium caussæ, si easdem adfers ad evehendum Octa-

Octavium alio modo dicis non posse excludi. At nec hoc recte. Hoc tu quidem pacto Antonium percellis, qua illum à tyrannide quam affectat deruis, injurias tibi ab illo illatas ulcisceris; sed nec minus in ipsam patriæ libertatem peccas, quam perpetuæ per continuatas successiones tyrannidi fœdissimo me hercules exemplo damnas. Tuum hic, sodes, errorem agnosce, qui cum Patriæ tuæ proditor penes Antonium quem depulsum velis residere quod est rerum summum, non sustineas, ejusdem cervicibus Octavium imponis. Quod quid aliud quam per proditionem tyrannidi tyrannidem opponere? Male faustam patriæ tuæ ambitionem; hanc & ipsam quoque quanta quanta sit aut Antonii superbia, aut utrisque dominandi lubido longe superantem, quotquot atria Viros & cives bonos habet merito jure damnabunt; ut qui is omnibus videri affectes, qui eo vel usque rempublicam tui arbitrii feceris, imperatorem ei & auferre & quem velis dare, unus ex æquo possis: eundem exinde tibi submissurus, tibi vasallum, cui ad te referendū erit, tuo quod habiturus, & regnet beneficio, quique fateri ad extremum cogatur esse se opus tuum. At vero tam illius tibi tolerandæ erunt querimoniæ, quem removeris, quam fieri de facili potest, ut non assequaris illa quæ tibi ab illo præsumsisti, pollicitus es, quem sic extuleris. Non est, ut petere à te consilium qui debeam, eidem à me dari posse credam. Tu interim etiam atque etiam attende, quo id loco futurum tibi vel ipsi sit, si consilium, quod ipse dare deberes, non admittis.

Lectæ quidem hæ literæ Ciceroni, ſed conturbatis jam omnibus, atque hinc ab Antonio, inde ab Octavio armis aſſumtis, vera & ſalutaria ſuggerenti morem gerere non evaluit. Erat tunc eorum venalis ambitus, & urbi & patribus ex bello lucrum. Par utrimque ſtudium, per largitiones ſibi legiones comparandi, ſtudiaque civitatum ac populorum emercandi. Brutus, ubi jus armis ac ſceleri datum vidit; ubi omnibus conclamatis, etiam malorum quæ fuiſſent remedia conſumta; Italiâ relictâ in Elæam ſe contulit, præſtolaturus, num quid forte rebus ſuis ex uſu quod foret volvendus dies adferret.

FINIS.

ERRATA.

P. 2. l. 8. effectet, *leg.* affectet. p. 5. l. 2 saturarint, *leg.* saturarit. p. 6. l. 11. ruivas, *leg.* ruinas. p. 7. l. 11. Geometriæ *leg.* Geometricæ. id. l. 23. ea obmissa, *leg.* admissa. p. 8 l. 18. contulene, *leg.* contulerit, p. 9. l. 1. concitans *leg.* concitaret. id. l. 4. qui *leg.* quæ. ib. ult. eadem, *leg.* eandem. p. 10. l. 1, exprimat atque illustrent, *leg.* exprimat atque illustret. ib. l. ult. fuisset *leg.* fuissent. p. 12. l. 15. Scloplerum, *leg.* Scloppetum. p. 17. l. 5. mortem, *leg.* invitis. ead. l. 9. soporate *l.* soporatæ, p. 19. l. 19 l. 10. partium ferant. *leg.* partium se ferant p. 20. l. 13. ut in, *leg.* ut nec in p. 2. l. 2. quod, *leg.* quos, ib. l. 14. alium, *leg.* aliam, ib. l. 25 præorum. *leg.* præmiorum. p. 22. l. 2. petenti, *l.* petendi. p. 25. l. 4. cruentem, *l.* cruentum ib. l. 13 qui, *leg.* quo, id. l. 17. aut *dele.* pag. 28. 13. venustulis, *leg.* venustulus. p. 30. l. 4. vero, *leg.* viro. p. 33. l. 5. providit, *leg.* procudit. p. 34. i. 1. interfecit, *leg.* ii fecerint, id. l. 25. displacet, *leg.* Dis placet. p. 36. l. 13. Marcus, *leg.* Cæsar. p. 40. l. 2. effecti, *leg.* affecti, p. 51. l. 25. De, *leg.* Da. p. 55. l. 25. & *leg.* ob. p. 56. l. 1. commendationis, *leg.* commendationis successus, id. l. 2. suspiciones, *leg.* suspiciones se, p. 57. l. 16. effeceris, *leg.* effecerit. p. 59. l. 11. desconveniet, *leg.* disconveniret. p. 60. l. 1. suam, *leg.* suum. p. 61. l. 12. confiscat, *leg.* consciscat. p. 62. l. 8. nidor, *leg.* nitor. p. 65 l. ult. cum, *leg.* tam. p. 66. l. 8 erravit, *leg.* errabit, id. l. 10. constitueret, *leg.* constituet. p. 69. l. 3. sibi. *dele.* p. 71. l. 7. qui, *leg.* cui. p. 79. l. 24. si non *leg.* si non in. p 74. l. 5. convenitur, *leg.* convertitur, id l. 11. nescii *leg.* nesciis. pag. 75. l. 1. multorum, *leg.* multarum, ib l. 5. penetrare videtur, *leg.* penetrare non videtur, id l. 14. amentivé, *leg.* amentive, id l. 16. consertos, *leg.* consortes. p. 77. l. 3. ambientium, *leg.* obnubentium, id. l. 12. saltem dele. p. 78. l. 10. provocatum *leg.* provocatura, id. l. 14. potestatemque, *leg.* potestatem, id. l. 16. agnitures non, *leg.* agnituris, haud. ib. *l. ult.* bus patria Gnarus, *leg.* bus. Patiar sed gnarus, p. 79. l. 9. dolor *leg.* dolet. p. 80. l. 1. & 2. Corus, *leg.* laus, ib. l. 5. ut, *leg.* at. bustium *leg.* bustum. p. 84. l. 16. an, *leg.* in, id. l. 20. attinet, *leg.* attinent, votis *leg.* vobis. p. 85. l. 25. salutavit, *leg.* salutarit, id. l. 19. nec in se, *leg.* nec qui in se. d. 86. l. 1. vitum, *leg.* vitam, id. l. 10. nunquam, *leg.* unquam p. 82. l. 7. ut præfunt, *leg.* præfinit. p. 84. l. 5 persuadeant, *leg.* persuadenn, vesidibus *leg.* residibus, id l. 16, Ipse *dele.* p. 90. l. 24. superbia in ulteriora, *leg.* superbia, quò æ in ulteriora. p. 9. l. 25. Quoties, *leg.* quotus. p. 92. l. 2. præstitent, *leg.* præstiterit, id. l. 21. judicum *leg.* judicium. p. 63. l. 11. obsepsit *leg.* obsersit. p. 94. l. 2. congraiiis, *leg.* congiariis, id. l. penult. effugiunt, *leg.* effugiant. p. 96. l. 10. *Dele* cum; id. l. 16. voxaret, *leg.* vocaret. p. 97. l. 20. judicium. p. 105. l. 13. meæ *leg.* mea, id. 15 satis, *leg.* fatis, id l. 20 pascebat, *leg.* poscebat. p. 111. l. 12. quoque, *leg.* quique. p. 113. l. ult. excisuris, *leg* excisurus, pacem *leg.* parem. p. 127. l. 3. aversuri, *leg.* aversuris. p. 121. l. 23. Cæpurnia, *leg.* Calpunia. l. ult. visu, leg. risu, p. 131. l. 1. Dico, *leg.* dici, p. 132. l. 6. inaccresse, *leg.* inaccessa. id. l. 9. despectum ipsis, *leg.* despexerunt, p. 133. l. 23. sit, *leg.* sint. p. 134. l. 8. re donaturi, id. l. 11. eum, *leg.* ut. id. l. 14. Cæsaris, *leg.* Cæsare. p. 135. l. 8. Magnes, *leg.* Magni. id. l. 11. animos *leg.* animi id. l. l. 14. propalesceret, id. l. 23. alio, *leg.* atrio. p. 136. l. 11. de *leg.* dato, id. l. 24. jus, *leg.* iis. id. l. 21. veneno, *leg.* venenoque, id. l. ult. inobservatas, *leg.* inobservatua. p. 138. l. 1. quam *dele.* id. l. 4. velut. Quæ, *leg.* velit, quæ, ib. l. 12. prolationem, *leg.* proditionem. id. l. 17. vota quæ vocares, *leg.* vota ad quæ vocaretur. id. 20. l. 20 dixissem, *leg.* dixisses. p. 104. l. 9. sumptas, *leg.* sumtis, id. l. 14. rit, scire, *leg.* rit. Scire. p. 141 l. 3. esse *dele.* P. 143 l. 11. venales *leg.* venalia. p. 144. l. 4 osculantur *dele.* id. l. 5. in alterum *dele.* id. l. 6. disjungant. cunctum. *leg* disjungant sibi eripiant junctim, id. l. 13. ut *dele.* p. 145. l. 4. exactioribus, *leg.* ex auctioribus, p. 146. l. 10. Semistichion, *leg.* hemistichion. id. l. 15. immorenti, *leg.* immorienti. id. l. 22. ferentem *leg.* ferientem. p. 148. l. 2. obsequio, *leg.* obsequia, id. l. *ult.* Totam, *leg.* Tam. p. 150. l. 7. invalidam, *leg.* in validam, id. l. 10. præ-

stitutum

ſtitutum *leg.* præſtitutam, id. l. 12 profudere, *leg.* profunderent, id. l. 16. videt *leg* videbat. p. 152. l. 7. voluntate *leg*, volutare. p. 154. l. 2. proſequitur *dele*, id. l. 23. ne; *leg.* me. p. 155 l. 2. toto, *leg.* toti. p. 157. l. 22. ſtatuas, *leg* ſtatuæ. p 158. *ult*.. quos, *leg* quas. 159. l. *ult*. ejici *leg.* ejus. p. 160. l. *ult*. Cæſar vel interfectus, *leg.* Cæſarem vel interfectum. p. 163. l. 17 perviunt, *leg.* pervincit, p. 164. l. 15. eum, *leg.* eos, id. l. 20. lucidibrio. *leg.* ludibria id. l. 21 Fieri, *leg.* Furi. p. 167. l. 13. laceſſere *leg.* arceſſere. p. 168. l. 23. ſatis *leg.* fictis. p. 169. l. 17. impulſuris, *leg.* impulſuri. p. 170. l. 23. ipſum *dele*. p. 171. l. 11. tamen, *leg.* tantus. p. 172. l. 1. actu, *leg.* acti. p. 176. l. 15. fiant *leg.* fiunt.